27414
hist. 8. 6 f. 4035

II

Latin

Charles

HISTORIA NUMISMATUM.

Amstelædami apud Henricum Wetstenium

BIBLIOTECHE
LY
1895

801831

CAROLI PATINI, Equit.
D. Marci, Doct. Med. Paris. & in
Acad. Patav. Med. Prof.

INTRODUCTIO AD HISTORIAM NUMISMATUM.

Antehâc Gallicè bis edita; Nunc Latinè versa, & novis accessionibus locupletata.

BIBLIOTHEQUE DE LYON

AMSTELÆDAMI,
Apud HENR. WETSTENIUM,

cIↃ IↃC LXXXIII.

SERENISSIMO PRINCIPI

FRIDERICO,

Duci Saxoniæ, &c.

NObilitatem ac virtutem duplicem esse viam homines ad æternitatis famam conducentem politiorum populorum consensus est universus. Hanc egregiis laboribus à se partam, illam Dei ac Naturæ donum qui possidet, uno Jove minor esse videtur. Vera quippe nobilitas magnam

vim habet, inquit *Cicero*, quæ majorem imo maximam adſcita ſibi virtute acquirit. Non aliter Heroes dicti ſunt, Diis aut Regibus geniti, Hercules & Alexander, niſi cùm generis claritati virtutis ſplendorem laboribus immenſis adjunxerunt. Non alio conſilio, Romani rerum domini, Honoris Virtutiſque templa, erudita calliditate, conſtruxerunt, niſi ut ad illud per hoc ſolum pateret aditus, nominis æternitatem hac arte ſuis civibus procuraturi. Hæc ſunt cur mirari non debes, Sereniſſime Princeps, inclito

to nomini tuo dicari hunc libellum, tot antiquis magnorum Principum monumentis refertum; quorum nobilitatem ab ipso cœlo deductam tantopere virtus extulit, ut terrarum orbem domuerit, & temporum injuriam ac circumscriptionem perbellè effugerit. Audaciam nostram, si quæ sit, excusat almæ Saxonicæ gentis virtus (ut de nobilitate taceam tot Heroïbus tot Imperatoribus clarissima) ubique locorum cognita. Tuaque imprimis non Germanis solis, sed ubi disciplinæ militaris ac litterarum

rum reconditiorum peritia floret, notissima. Mihi quidem tot annis apud optimos Germaniæ populos degenti, illa planè innotuit, ad quam tamen manibus vacuis accedere pudor erat. Hoc itaque devoti mei & obsequentis animi testimonium benignè suscipere non dedigneris.

Patavii, Kal. Febr. MDCLXXXIII.

PRÆFATIO.

INter præcipuas humani generis delicias, Numiſmata eorumque Cognitionem haud poſtremas eſſe cenſeo, magna quippe cum utilitate conjunctas. Difficiliorem eam reddunt libri, qui ſuppoſitâ generali notitiâ, deſcendunt ad explicationem particularem, atque ſic adeò prolixi fiunt, ut quamvis tædium in progreſſu operis nullum afferant, difficultatis tamen ſpecie Curioſorum animos non raro avertant. Huic ut obviam irem viamque planiorem redderem, de opuſculo iſthoc edendo cogitavi, nova methodo eaque perfacili compoſito. Exiguum enim temporis ſpatium quo lectio ejus abſolvi poteſt, profundam Lectori Hiſtoriarum ideam imprimet, efficietque ut hujus uſum non ſine admiratione ſentiat.

Numiſmata ceu lapis lydius Hiſtoriarum, eas pari delectationis & utilitatis gradu nobis explicant; quæ vicißim non rarò commentarii loco inſervivunt, atque abditos inſcriptionum in Numiſmatis expreſſarum ſenſus detegunt. Quo fit ut Cimeliarchia Bibliothecis ferè ſemper conjungantur, ſicut id Viris rara doctrina

Claris

Claris à bis centum annis usu venit. Ex quo tempore etiam in eo desudatum est, ut omnis generis artes & scientiæ adeo excolerentur, ut quæ præteritis sæculis rudi vix Minerva delineatæ erant, jam ad supremum fastigium deducerentur. Id quod Numismatum experimento haud difficile probatu venit, quæ majore nunc loco quam antehac unquam habentur; dignitate & meritis eorum apud quos in pretio sunt, non exiguum huic curiositati pondus addentibus: Utiliq; illa quam afferunt delectatio imposterum efficiet ut nunquam non studiose curentur. Hæ sunt rationes quæ me impulerunt, quò exiguum hoc opus aggrederer, & fortè alios induxerunt ut ad suscipiendum onus me impellerent: Quibus dum morem gero, publicis me inservire commodis existimo. Reperies hic itaque Originem Monetarum & Numismatum, eorumque diversas magnitudines, varia genera & species. Ita ut si cui placuerit vel minimum curæ & studii huic negotio impendere, haud dubitandum sit, quin vel difficilimos quosque hujus generis Authores cum fructu evolvere, & in reconditissima antiquitatis secreta penetrare possit.

IN-

INDEX CAPITUM.

I. De Numiſmatum dignitate & præſtantia. 1
II. De uſu hujus ſtudii. 8
III. De variis Numiſmatum & Monetarum Nominibus. 15
IV. De jure cudendi Monetas & Numiſmata. 22
V. De Monetæ & Numiſmatis differentia. 27
VI. De diverſis Numiſmatum materiis. 36.
VII. De Numiſmatibus aureis. 41
VIII. De Numiſmatibus argenteis. 47
IX. De Numiſmatibus Græcis. 53
X. De Numiſmatibus Romanis Conſularibus. 61
XI. De Numiſmatibus Imperatorum Romanorum. 68
XII. De Numiſmatibus Hebraicis, Punicis, Hiſpanicis & Gothicis. 81
XIII. De Numiſmatibus recentioribus. 86
XIV. De Calculis & Taliſmanis. 94
XV. De Numiſmatis æreis in genere. 106
XVI. De Numiſmatis Romanis ex ære minimo. 113
XVII. De Numiſmatis Romanis ex ære medio. 119
XVIII. De Numiſmatis Romanis ex ære magno. 125

XIX. De

XIX. De Numiſmatis æreis ex maximo modulo. 133
XX. De Nummis ſuppoſititiis & adulterinis. 139
XXI. De quibuſdam Rei Nummariæ ſcriptorum erroribus. 151
XXII. De frequentioribus Romanorum Nummorum inſcriptionibus. 157
XXIII. De Notis & vocum abruptionibus quæ in Numiſmatibus Romanis occurrunt. 169
XXIV. De iis, qui Nummos antiquos ſcriptis illuſtrarunt. 179
XXV. De Cimeliarchiis Nummariis. 215

INTRO-

INTRODUCTIO
Ad
HISTORIAM NUMISMATUM.

CAPUT I.

De Numiſmatum dignitate & præſtantia.

EX univerſa antiquitate, cujus quidem monumenta ad noſtram ætatem pervenere nulla eſt cognitu dignior eâ ipsâ cujus hîc meditamur deſcriptionem & quâ validiori præ ceteris omnibus argumento, ad nominis famam in ævum

excitandam Romani præcipuè usi sunt. Elegantia rerum, quas Numismata hæc symbolica referunt; Usus quem in indaganda historia præstant, pretium sane illis vel supra statuas & ædificia constituunt, non quod de horum veneratione quicquam detractum cupiam. Statuæ enim plerumque repræsentant Viros Heröas & Illustres, quorum virtus inclyta nobis in imitationis exemplum sistitur: Et architectura Veterum, exquisiti & magnifici operis blanda suâ facie amorem & admirationem sui parit, & vel solo aspectu animis nostris tacitam pariter gratamque vim adfert. Magnifica templorum structura, arcuum triumphalium superbum decus, excelsa pyramidum fastigia, circumfusi amphitheatrorum ordines, effusa palatiorum luxuria, omnem humanæ imitationis spem nostris temporibus, non modò dubiam, sed penitus irritam reddunt.

Dum interim tempus edax gloriæque tam immensæ invidum, magnam & potiorem rerum pretiosissimarum partem

nobis

nobis subtraxit, & quod ex ferro & igne residuum erat ruderum, id verò quotidie & sensim depascit. Paucæ statuæ diras fati hujus injurias superârunt; sola Numismata ex ipsis animis eruta, integra & incorrupta, fato huic erepta cernimus. Atque ea ipsa voluptas, quam ex statuis & ædificiis capere licet, paucorum & vix aliorum est, quàm Magnatum, magnis laboribus & impensis redimenda, pretio earundem exstruendarum, communem hominis privati sortem excedente. Et illa quidem ad magnificentiam potius à suis Autoribus, Principibus, Magnatibus extructa, quam in literarium monumentum & documentum sunt adornata.

Cùm interim Numismata nostra cujusvis sortis ac conditionis hominibus inservire valent, Principes sanè quos non modò felicior nascendi sors, sed & virtus ipsa præ aliis extulit, haut postremam deliciarum partem in hoc studio collocabunt. Divites habent, quo redituum partem ritè impendant, & unde thesau-

ris ſuis decus haud vulgare concilient. Nec viri docti in id ſtudium ſumptus quantos & quantillos ſors cujuſque admittit, facere gravabuntur, ſine quo ignorare neceſſe habebunt, quæ ignorare forte pigebit & pudebit. Ipſe ſexus femineus, ſuâ naturâ laudis avidus, inveniet hîc, quo abundè delectetur, quoque ad laudem, ex virtutis ſtudio ſperandam, excitetur, dum multo nummo exſculptas intuebitur Heroïnarum imagines. Caſtitas Artemiſiæ; prudentia Juliæ, Divi Auguſti uxoris; ſanctitas Plotinæ; magnanimitas Zenobiæ, hæc quidem tanta ſunt & tam luculenta ſexûs hujus ſpecimina, quibus etiam viris ſummis palmam rerum præclarè geſtarum dubiam reddere valent.

Si quid inſuper in arte aliqua curioſa & rara ſolidum eſt ac grave, in hac ſanè noſtra illud reperire dabitur. Liceat Magnatibus ex equorum varietate & dexteritate voluptatem capere, & vel cum Romulo equaria in campo Martio inſtituere, vel equos, *Qui candore nives an-*

anteirent, cursibus auras, in cursus venatorios effundere, modò ne jugulum & coxam cum Hadriano apud Spartianum, frangant. Sint hæc ipsis pacis oblectamenta, sint belli γυμνάσματα: Illud interim nobis haud gravatim concedent, voluptatem hanc ipsorum paucis esse propriam; nostram plurimis & tantùm non omnibus communem: Ipsorum, ad corpus; nostram hanc ad animum hominis pertinere.

Picturæ, quæ & ipsæ curiosas mentes haud leviter occupant & in admirationem Naturæ artificiosè effictæ rapiunt, cum Numismatis nostris hoc sortiuntur commune, quod ambo res hominum præclarè gestas exprimere collaborent: Illud tamen inter utramque artem discriminis intercedere videtur, quòd dum illa nonnisi ad delectationem & ostentationem est composita, ab arbitrio & genio, nonnunquam delirio Autoris sui dependens, nostra hâcce alium longè majorem præstet societati humanæ usum, quo comprobat id quod repræsentat,

ipsi arti pictoriæ quicquid demùm ista habet autoritatis, conferens, sine quâ vana, iners & nugatoria esset omnis pictura.

Scientiarum professores cæterique per Europam dispersi viri docti, librariam suppellectilem tanquam omnis eruditionis fontem & cornucopiæ, rei nostræ nummariæ dubio procul anteferent: Quibus ego neutiquam contradico, quin potiùs potiorem studiorum meorum, non medicorum modò, sed vel hujus ipsius Antiquarii partem monumentis chartaceis me debere palàm profiteor. Eâ in me interim erunt æquitate & humanitate, quâ mei studii encomia faciles mihi permittent, ubi suis à me nihil detractum iri animadvertent.

Sicuti verò libri historici usibus politicis plusquam ulli alii inserviunt; ita Numismata, usum & applicationem historiarum adjuvantia, hanc cum Historicorum voluminibus gloriam quasi ex æquo participant; usque adeo, & sine Numismatum αὐθεντίᾳ, ipsa histo-

ria,

ria, autoritate suâ destituta, in suspicionem fidei subleſtæ ac temeratæ incidere possit. Gemmis quidem pretium eripere non contendo, quibus in arctum coacta rerum naturæ majestas, multis nulla sui parte mirabilior: varietate, coloribus, duritie, materia, decore, nunquam satis laudanda. Pro omnibus sit *achates illa Pyrrhi qui adversus Romanos bellum gessit: In hac* IX. *Musæ & Apollo citharam tenens spectabantur, non arte sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.* Plin. l. 37. c. 1. Exiguus illarum numerus solis Principibus viris servatus videtur, imò Diis, quibus ab ipsis Principibus frequenter donabantur, ut Pompejo Magno contigit dactyliothecam, peregrino appellatam nomine, quæ Mithridatis Regis fuerat inter dona in Capitolio dicanti: Hoc exemplo Cæsar dictator sex dactyliothecas in Veneris Genetricis templo consecravit.

Ut silentio prætream alia cimelia quæ citra omne dubium infra pretium

& dignitatem eorum quæ modò recenſuimus longiſſimè ſubſident, qualia ſunt avium, piſcium quadrupedumque, conchyliorum, murrhinorum Sinenſium, ac Japonenſium aliorumque naturæ & artis operum: quæ omnia, utut bellè curioſa, ad hujus tamen noſtræ nummariæ utilitatem & jucunditatem minimè accèdunt, quæ expreſſum habet characterem ejus quod innuit, quæque nuſquam habuit oſorem & contemptorem, niſi ignorantem.

CAPUT II.

De Uſu hujus ſtudii.

Omnium ferè animis inſediſſe arbitror illud Caſſianum, apud Ciceronem pro Milone: *Cui bono?* adeo

Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe doctum.

Fortius tamen movet utile, ubi cum neceſſitate erit conjunctum. Quo quidem utroque nomine noſtrum ſeſe commen-

mendat ſtudium nummarium, utut paulò aliter videtur quibuſdam, quibus perſuaſum, non inſervire niſi Melancholicis ad curarum; vel otioſis ad temporis tædium, miſerè fallendum. Ego verò animi quandam relaxationem, ne ille ſub curarum & laborum onere fatiſcat, aut etiam penitus ſuccumbat, omnino neceſſarium eſſe arbitror. Miſerum tamen non dixero, id quod eſt & utiliſſimum & ſuaviſſimum, quale eſt quod Numiſmata præbent oblectamentum, quod novæ ſcientiæ acceſſione animum eâdem operâ ornat & perficit, non minùs ac aliæ feriæ occupationes.

Nullum eſt ſtudium quod potius faſcinat deſideria mentis humanæ, quàm illud quod res multis retrò ſæculis agitatas quaſi è tenebris in lucem protrahit, & vel dudum emortuis ac ſepultis vitam reddere valet. Hiſtoriam intelligo, quæ Ciceroni *Nuncia vetuſtatis, magiſtra vitæ* haud immeritò audit, quæ & ſpiritus infundere generoſiores, & viva ſiſtere præceptorum moralium exempla

potis est. At verò eam non sola suppeditat librorum lectio, nec omnem certè nec indubitatam : Recurrendum omninò ad lapidem Lydium, cui hactenus hominum neque malitia neque insciti vim adferre potuit : Nummos intelligo antiquos, infallibiles & ubique necessarios, veritatis historicæ testes, characteres & documenta.

Sed & iidem retegunt nobis Paganæ religionis mysteria, exercitia & ritus, quibus illi pro cæca sua superstitione & κακοζηλία sunt defuncti. Exhibent Numina quæ adorârunt, varia eorundem nomina & insignia, ut & magistratus quorum autoritate prodierunt. Videas illis insculpta variæ structuræ templa, portus, fora, bibliothecas, vias publicas, sepulchra, pontes, aliaque quæ sive necessitas, sive superbia erigebant. Eorum tamen præcipuam habuisse curam videntur quæ ad decus & gloriam patriæ faciebant, qualia erant Arcus triumphales, Porticus, Theatra, Amphitheatra, Circi, Pyramides, Ædes,

Co-

Coliſæi, & Obeliſci, quorum illuſtre decus ex ſolis Numiſmatibus nobis affulget. Exſplendeſcunt illa inſuper triumphorum ludorumque publicorum magnificentiâ, civitatum privilegiis, regionum occupationibus, coloniarum deductionibus, aliiſque quorum memoriam ad poſteros tranſmittere ſuæ duxit pietatis antiquitas. Imagines certè & ſimulacra tot tantorumqne virorum Illuſtrium jam dudum periiſſent, niſi ære inciſa etiamnum exſtarent. Orthographiæ puritas, characteris excellentia, operis exquiſita perfectio poſteritati præſtiterunt ea quorum præſtandorum ſpem & deſideria concepit antiquitas. Et vel ipſæ veſtes, quâ pacis qua belli, togæ & ſagæ, currus, ſellæ curules, congiaria, aliaque liberalitatis ſpecimina inibi ſunt curioſis mentibus & oculis conſpicua. Nec minus intuemur varia coronarum genera, civicas, triumphales, murales, navales, obſidionales, roſtratas, radiatas, varia variæ virtutis & fortunæ præmia, *honores illis temporibus raros &*

tenues, obque eam causam glorioſos, nunc autem effuſos aut obſoletos. Corn. Nep. in Ale. l. 6. 2. Ut nihil hac ex parte vel ad amorem vel ad imitationem tantorum Heroum non expreſſum videri poſſit. Exprimunt eorum ortus, conjugia, victorias, ἀποθεώσεις, nomina majore certitudine & autoritate, quàm ſi centum Autoribus deſcripta forent.

Neque verò eſt quòd quiſpiam nummi novi ſtudioſus, dicam, an tenax, pretium juſto majus & ſaltem non iniquum antiquis arrogatum cauſetur. Me quod attinet, Numiſmatis meis, ut fateor quod res eſt, quodque fatcri non pudet, ſubinde carius ſtatuo pretium, quàm quo vulgus emit. Interim liceat mihi pretium affectionis deſignare, quod liberum eſt emptori pendere, vel ſibi ſervare: *Quod rarum, carum.* Deinde pro ratione temporum mutatur illud ſæpiſſimè: Exemplum mihi ſuppeditat Epiſtola 5. celeberrimi Medici & Antiquarii Ad Occonis ad J. C. Baſileenſem, Bon. Amerbachium ſcripta, à Cl. J. C. Ba-

Basileensi Scb. Feschio mihi Reipublicæ quæ literariæ communicata: *Revera affirmo* (sunt verba Occonis) *singulos meos Dictatores Julios, singulis constitisse coronatis, neque admodum elegantes, sed scio raros esse, & inventu difficiles. Pro unico Gordiano Africano argenteo, persolvi tres florenos, quem alius vix totidem batziis redemisset; dicere propemodum erubesco.* Erubescerem ego ab oppositio tres tantùm florenos dare pro numismate argenteo Gordiani AFRicani, cùm sæpe supra triginta lubens concesserim. Neque verò vel T. Pomponius cognomine Atticus, vel Varro L. L. Princeps, ex dignitate sua judicarunt, pecuniam fœnori locare, studiis illustrioribus, libris, præsertim ad antiquitatis memoriam pertinentibus, impendendam. Et hic quidem, Plinio teste, librum consignavit septingentorum virorum illustrium, non nominibus modò, sed & imaginibus refertissimum; Ipsummet audiamus, *lib.* 35. *cap.* 2. *Imaginum amorem flagrasse quondam testes sunt & Atticus ille Ciceronis,*

edito de his volumine, & M. Varro benignissimo invento, insertis voluminum suorum fœcunditati non nominibus tantùm septingentorum Illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere, inventione muneris etiam Diis invidiosus, quando immortalitatem non solum dedit, verùm etiam in omnes terras misit, ut præsentes essent ubique & cerni possent. Divus Augustus palatii sui sacratiora plurimis statuis exornata habuit: neque tamen ullus majori numero ac Alexander Severus Imp. qui & ipsiusmet JESU CHRISTI & Abrahami, non minùs ac Achillis, Alexandri M. Orphei, Apollonii, Platonis, Ciceronis, Virgilii, aliorumque sanctitate meritisque illustrium imagines religiosè coluit, & in imitationis exemplum adservavit.

C-

CAPUT III.

De variis Numiſmatum & Monetarum nominibus.

EX quo primitus coaluit humana ſocietas, opus illa habuit monetis pariter & Numiſmatis; illis ad negotiationis & mercaturæ uſus, cùm rerum omnium permutationes difficiles accederent: his ad autoritatem publicam monetis & gloriam viris illuſtribus conciliandam. Jus enim cudendæ monetæ, in ſummo honore habitum & nonniſi viris Principibus beneque de Republica meritis olim conceſſum, generoſam & gloriæ cupidam indolem ad ſumma & præclara quævis erexerat, ut jure illo potitis, ſuam monetis imaginem imprimere & exprimere liceret, quod in ſumma votorum & honorum reponebant. Cui rei nullum aliud corpus ſolidum convenientius videbatur lapidibus & metallis, quorum durities imagines & actiones virorum magnorum inſculptas fortiùs retinet

tinet & diutiùs à detrimento vindicat; unde Gallorum, quas vocant, *Medailles*, à metallis nomen sunt sortitæ. *Rudibus metallis primò teretibus ut virgulis, vel in latitudinem diffusis, postea ad reprimendas adulterantium fraudes signatis, in commerciis usos fuisse mortales, satis constat: quibus diversis imaginibus impressis hominum & animalium ut* SAGITTARII, NOCTUÆ *& aliarum rerum diversa nomina imposita sunt, ut* DARICI, PHILIPPEI, *à Regibus, à pondere, numero, & rebus impressis, Græcis drachmæ, tetracini, oboli, minæ, Latinis denarii, bigati, quadrigati, sestertia, & generali vocabulo, nummi seu pecunia appellati sunt.* Leonard. Port de seltert. pecun. ponder. & mensuris.

Huc pertinent & imagines Romanorum ceris impressæ, quibus ad usque pectus efformabantur Viri spectabiles, quas Græci στέμματα vocabant, & erant plerumque Majorum effigies, de quibus proin Plinius lib. 35. c. 2. testatur: *Expressi cera vultus singulis disponebantur ar-*

armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera. Et Turnebus alicubi observat non repræsentasse ea totum corpus humanum, nec nisi ad usque humeros, de quibus fortè Plinius, *plurimos viros magnos singulari studio & amore earumdem flagrâsse, &c.*

Clypei vocem hoc ipso significatu usurpatam fuisse, testis est idem Plinius, lib. 35. c. 3. *Scutis, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuêre clypeorum, non ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit à cluendo.* Et lib. 35. c. 2. *Imaginum quidem picturæ quàm maximè similes in ævum propagantur figuræ, quod in totum exolevit, ærei ponuntur clypei, argenteæ facies.* Addit insuper, *Suorum verò clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit, ut reperio, Ap. Claudius qui consul cum Servilio fuit, an.* V. C. CCLIX. *Posuit enim in Bellonæ ædo majores suos, placuitque in excelso spectari, & titulos honorum legi.* Quod ipsum mihi in memoriam revocat marmoreum illud monumentum in ci-

mc-

meliarchio Regis Christianissimi conspicuum, tribus pedibus in rotunditatem altum & clypei formâ : cujus extrema variis ornamentis involuta effigiem cingunt insigni exstantiâ prominentem : quæ ipsa apprimè quadrant ad descriptionem Plinianam. Conveniunt & illa Trebellii de Claudio Gothico verba, *Clypeus aureus Senatus totius judicio in Romana curia collocatus est, ut etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus imago.*

Nec minus signa Romanorum militaria Imperatorum imagines referebant, de quibus Vegetius, lib. 2. cap. 6. de re militari : *Prima Cohors imagines Imperatorum, id est, divina & præsentia signa veneratur.* Et Plinius ait potius argentum in iis adhiberi quàm aliud metallum, *quòd color argenti clarior sit & diei similis, ideoque militaribus signis familiaris.*

Numismatis vox suâ origine exiguam massam metallorum significat, cui impressa est figura quædam, quo sensu Juris-consultus in digestis lib. 7. cap 28. de usufr. *Numismatum aureorum vel argen-*

gen-

genteorum veterum quibus pro gemmis uti solent, &c. Et talia quidem ex collo pendula gestabant, vel religionis vel venerationis causa : usque adeo ut crimini laesæ majestatis imputaretur, tempore Tiberii monetas ejus lupanaribus inferri.

Pecuniæ vox secundum Plinium & A. Gellium originem ducere videtur à pecoribus, quorum imagines referebant pecuniæ. Ejus sunt hæc verba lib. 20. *Urgente bello, unciales cum nota Jani bifrontis & rostris navis & alii effigie pecudum unde* PECUNIÆ *dictæ, signati fuerunt, cujus notæ & ponderis antiquissimos vidi & appendi.* Sic brevius Plinius lib. 33. c. 3. *Æs signatum est notâ pecudum unde &* PECUNIA *appellata.* Referebant autem antiquissimæ monetæ, Plutarcho teste, *in vita Publicolæ*; figuram bovis, ovis, vel porci.

Ex qua consuetudine mulcta legum antiquarum pecore constat, etiam Romæ, inquit Plinius *ibidem.* Præterea legitur apud Varronem l. 4. de Ling. Lat. *Pecuniosus*

nioſus à pecunia magna: pecunia à pecu: à paſtoribus enim horum vocabulorum origo.

Et quia tum characteres tum figuræ expreſſæ de pretio & autore pecuniæ admonebant, factum eſt ut MONETÆ dicerentur à monendo, ſi Feſtus benè monet. Atque hinc Triumviri Monetales qui pecuniæ flandæ feriundæ præfecti erant.

Græcorum νόμος, quod Latinis *lex*, locum dedit Latino NUMMI vocabulo, eò quòd nummus valeat, οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ; *non naturâ ſed lege*, ſive, ut Ariſtoteles loquitur *lib.* 5. *Ethic. cap.* 5. ἐξ ὑποθέσεως, *ex hominum inſtituto.* Ad quam originem attendentes malunt ſimplici conſona media, quàm geminata ſcribere, *Numus*, non minùs ac Numiſma ſcribitur, quaſi à νόμισμα. Et Monetarii quidem variis characteribus ſuisque nominibus inſcriptis, bono publico, cavebant, ne quid fraudis committeretur, & adulterina pro legitima venditaretur, cujus ſponſores cenſebantur. Audiamus Varronem *l.* 4. *de Ling. Lat.*

&

& Pollucem, *lib. 9. cap. 6.* Nummus videtur Romanorum nomen esse: est autem Græcanicum eorum qui in Italia aut Sicilia Dores habebantur.

Græcorum χρῆμα usum monetæ designat, eumque necessarium, ab impersonali χρὴ *oportet*, eò quod ad omnes vitæ humanæ necessitates conducat: Quamvis sint, qui à χράομαι *utor* arcessant ejus ἔτυμον, eodem argumento. Qua tamen utraque significatione, moneta cum Numismate videtur confundi.

Romæ viculi erant, sigillaria dicti, quòd ibi omnis generis imagines, figuræ, Numismata aurea, argentea, ænea & ex terra cocta, venalia exstarent, communi nomine *sigilla* dicta. Referebat locus ille forum quoddam, ubi curiosis volupe erat oculos animosque pascere. Fortè ille ipse vicus est, quem adhucdum, sua lingua *strada delle coronarie* vocitant. Hadrianum Imp. *sigillaria amicis inopinantibus misisse, & ab his liberaliter accepisse*, Spartianus tradit.

CA-

CAPUT IV.

De jure cudendi Monetas & Numismata.

Inter cives Romanos pluribus autoritate publica indultum erat imagines Majorum, in usus familiæ suæ asservandos, adornare, quod *Jus* vocabant *Imaginis*, quadantenus cum jure nostro *Insignium gentilitiorum* conveniens, cum primis eorum, quæ coronide aliisque ornamentis sunt conspicua. Quod quidem jus nulli temerè concedebatur; non sanè promiscuè hominibus privatis, sed privilegii loco ducebatur teste Plinio: *Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliquâ illustri causâ perpetuitatem merentium.* Etenim, & loquitur Ennodius, *Per hæc simulacra nesciunt obitum vel sepulti, in æternitatem migrat per has artes imago mortalium, & angustam humanæ naturæ legem vincit industria.* Uti interim rēs quævis præstantissimæ in varios abusus degenerant, ita à temporibus Plinii sensim accidit, ut Romæ non pauciores numera-

merarentur ſtatuæ quàm homines, arte non minùs in fingendo, quàm natura in formando occupata. Ut Caſſiodorus non veritus fuerit affirmare, *Tot ibi ſtatuas fuiſſe, ut poſteritas parem populum cum arte dederit, quàm natura procreaverit.*

Jus vero cudendæ Monetæ arctioribus cancellis circumſeptum erat, nec niſi ad Principes pertinebat, aut ſaltem paucis aliis ab iiſdem indulgebatur. Florente Republica Rom. monetis præpoſiti magiſtratus ex Senatus conſulto Deos Deaſque, Romam frequenter, ac Majorum ſuorum imagines, triumphos, præclaraque facinora ſignavere. Cæſares poſtea ſumma rerum potiti, privilegium affinibus, cæſaribuſque deſignatis conceſſerunt: Potior tamen illorum pars, parentes, uxores, ſorores, honore tanto dignati ſunt; ut Auguſtus Liviam; Caligula Agrippinam, Druſillam, Juliam; Claudius Maſſalinam & Agrippinam; Nero Octaviam & Poppæam, Titus & Domitianus Juliam, alii plurimi plurimas alias, quorum Numiſmata

in


image
not
available

monetas aureas percusserunt. Et narrat Zonaras, Leontium Imp. Justiniani Præfectum exercituum, fœdera pacis cum Arabibus rupisse, eò quòd tributum monetâ aliâ, quàm quæ Imperatoris effigie erat signata, penderent.

Historiam verò paulò altius repetituri, inveniemus *in Machabæorum libris*, indulsisse Antiochum populo Judaïco peculiare quoddam monetæ genus. Populi contrà Græci, qui liberi pro arbitrio cudebant monetas, sub jugum alieni imperii missi, tenebantur victoris sui Imperatoris Rom. imagine monetas suas signare, quas tamen pauciſſimas argenteas, omnes verò æneas percutiebant, ut suspicio sit, jus aurum signandi, apud eos non viguisse.

Posteris temporibus, jus monetæ supremo magistratui sanctè fuit adservatum, nec concessum ulli, nisi quem merita haut vulgaria Principis benevolentiâ & tanto honore dignum præstabant. Sic Ludovicus XII. nostrorum Regum, meo judicio, optimus, hoc ornavit pri-

vilegio ſtrenuiſſimum fortiſſimumque Trivulcium Galliæ Mareſchallum. Affine Chriſtianiſſimorum Regum ſuis ſymbolis frequenter monetas percuti curaverunt. Blanca Caſtilienſis, Sancti Ludovici mater exſtat in aureo nummo: Joannes Dux Biturigenſis, Frater Caroli V. ſapientis vulgò dicti, Burgundiæ Ducis, Delphinatuumque reguli, idem ſibi jus arrogarunt. Et inter M. S. codicis curiæ monetarum Galliæ, adſervatur etiamnum regium Lud. Hutini edictum 17. May, 1316. quo Præſulibus quibuſdam Baronibuſque jus illud aſſeritur, ſimulque Regi integrum relinquitur & averſæ & adverſæ faciei pondus, metallum typoſque definire; quod quidem jus expiravit, ex quo Reges illud ſibi pretio compararunt. Chopino etenim adſerente Robertus Arteſienſis Comes Bellorienſis, ſuum jus ſex millibus librarum Regi vendidit. *Ex theſauro commentariorum vulgò des chartres*, 12.

Paganorum exemplo ſua ſymbola monetis imprimentium moti Imperatores Chri-

Christiani suæ pietatis, & venerationis esse duxerunt Servatoris nostri JESU CHRISTI imagine Numismata sua insignire, hâc additâ epigraphe: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ. Quin etiam eodem pietatis affectu, crucem gemmis distinctam hac ornârunt inscriptione: IHS XPS NIKA, *Jesus Christus victor.*

CAPUT V.

De Monetæ & Numismatis differentia.

Contractuum & negotiationum necessitas etiam monetæ usus fecit necessarios, ut suppeteret quod pro re empta venditori confestim numerari posset, permutationibus multùm de pretio rerum diminuentibus, quòd nummi sive monetæ subsidium, quia commune est, & in usu vulgari positum, minùs sanè æstimatur, quàm decet, & usus ejus, quem in societate civili constat, exigit.

Numismata quidem tanti usûs & necessitatis quotidianæ non sunt, interim

tamen plus afferunt oblectamenti ac delectationis. Monetæ præter intrinsecum metalli pretium nullo pollent valore, dum Numismata glorioſis Heroüm actionibus immortale decus, charactere ſuo, conciliant.

Quæſtio interim haud levis in utramque partem agitata hîc ſuboritur; an monumenta illa antiqua, quæ Numiſmatum nomine veniunt, in cimeliarchiis adſervata, olim monetarum uſum in contractibus præſtiterint. Quamvis autem plures iique doctiſſimi prioris ſæculi Viri Numiſmata in cenſum monetæ aut pecuniæ non veniſſe ſibi perſuaſum habent, attamen probatum reddam, Numiſmata hæc etiam monetarum ac pecuniarum loco habita, neque nomen illud ſuum aliunde, quàm ab antiquitate mutuata, adeo ut Numiſma nil ſit jam aliud, quàm *nummus antiquus.*

Numiſmata omnium antiquiſſima quæ noſtra cimeliarchia exornant Græcorum ſunt, quorum pleraque monetæ Daricæ, aut Philippicæ nominantur, eò quòd Darii

rii vel Philippi imaginibus sunt insignitæ. *Retulit accepta regale Numisma, Philippos* Horatius Lib. 2. Epist. 4. Artemidorus refert somnium Stratonici de Rege à se prostrato, cujus imago insculpta esset monetæ ad pedes suos jacenti. Senatus Populusque Romanus inter summos quos Dictatori Jul. Cæsari decrevit honores, jussit effigiem ejus vulgari monetæ insculpi atque sic in tritos usus venire. Suetonius de Augusto refert *cap.* 94. *Tantam fiduciam fati eum habuisse, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris capricorni, quo natus est, percusserit.*

Νόμισμα, illud τῦ κήνσου, Numisma tributarium, quod Judæi tempore Christi pendebant Cæsari, Cæsaris imaginem & inscriptionem continebat. Seneca pariter & Tacitus asserunt tempore Tiberii criminis læsæ majestatis locum habitum fuisse, si quis in lupanar, monetam Cæsaris imagine signatam, intulisset. Et Philostratus, *in vita Appollonii* observat, Dominum quendam supplicii capitalis

reum fuisse actum, quòd servum, monetam talem manu fortè tenentem, percusserit.

Dio refert Senatus-consulto cautum fuisse, ut omnia Caligulæ Numismata in detestationem immanis exercitæ Tyrannidis colliquerentur, quo procul dubio factum est, ut rariora supersint. In cimeliarchiis nostris plures reperias Neronis nummos cytharædici habitûs notâ percussos, ut legere est apud Suetonium, *cap.* 25.

Tradit Xiphilinus, jussisse Vitellium, monetas prædecessorum suorum imaginibus signatas, in communem usum adduci. Herodianus refert de Septimio Severo, eum, ut palàm testatum faceret, se Albinum sibi imperii socium junxisse, monetas & statuas faciem ejus referentes procurasse: Νομίσματα Αλείνε κοπῆναι ἐπέτρεψε ἀνδριάντων τε ἀνάστησιν. Et Alexander Severus habitum Alexandri M. mentitus, sese in nummo signari jussit. Ut Diadumenus, Lampridio teste, cùm ad Cæsaream dignitatem evectus fuis-

fuisset, hoc primum sibi præstandum duxit, ut nummum suâ facie insignem percuteret.

Litteræ Gallieni & Claudii Imp mentionem faciunt monetarum aurearum, quæ Valerianæ ab imaginibus insculptis, & Saloninianæ, vocabantur. Idem ille Gallienus dono dabat fœminis ipsum salutantibus, Nummos imagine suâ figuratos. Percussit & alios notâ Odenati i Persas captivos tenentis, in altera facie, quibus titulo Augusti ei concesso significabat, se illum in imperii societatem adsciviſſe. Vopiscus probat, Proculum potitum imperio & majestate supremâ, eo quòd purpuram gestarit & monetis sui temporis Augusti nomen fuerit inscriptum. Cùm primum Trebellianus invasit imperium, effigiem & nomen monetis vulgaribus insculpsit.

Imp. Justinianus, pro eo, quo propendebat in Belliſarium victorem & triumphatorem glorioſum, æquitate, ſummis eundem honoribus affecturus, in aversa nummi facie effigiem ejus

magnificâ hac inscriptione efformari jussit : GLORIA ROMANORUM , gloriam tot gentium devictarum , non minus ipsi ac sibi arrogans.

Codex Theodosianus meminit monetarum aurearum , imagines principum referentium , *lib.* 12. *tit.* 7. & Imperatores illi duo Valentinianus & Valens jusserunt nummos veterum Imperatorum , quotquot quidem suum constaret pondus & pretium , in quotidiano usu recipi. Theodosius & Valentinianus gravissimè conquesti sunt monetas Majorum suorum vix ac ne vix quidem acceptari.

Multi Historiorum referunt , Constantinum III Pont. Max excommunicato Imp. Leone III. cognonime εἰκονομάχῳ , populo interdixisse , ne Monetas effigie ejus signatas reciperent.

Imp. Phocas pessimè audiit , apud Cedrenum & Zonaram , quòd majus pretium suis , quàm Prædecessorum suorum monetis , ut ut ejusdem ponderis & metalli statuerit. Paulus ICtus dicit , qui genui-

genuinam admittere recusat monetam Principis, lege Corneliâ teneri. Et plures dantur in Jure leges locique ex quibus luculentè constat, nummos communes imaginibus Imperatorum signatas fuisse. Ammianus certè Marcellinus observat, electo Imperatore, extemplò procusam fuisse ejus typis monetam, nomine atque effigie ejus insignem, tanquam publicum majestatis documentum.

Aristoteles docet Principum effigies ideo monetis esse insculptas, quò singuli certi essent de earundem valore & pretio: Unde Rex Theodoricus boni publici interesse dixit, Monetas haberi integras minimèque attritas Hæc sunt Cassiodori verba. var. lect. cap. 32. *Omnino Monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur & generalis utilitas inventur. Quidnam erit tutum si in nostra peccetur effigie, & quam Subjectus corde venerari debet, manu sacrilega violare destinat?*

Et ut major constaret Monetæ veneratio, Pagani quidem Imp. Deam sibi

eandem finxerunt, quam frequenter ipsis nummis insculpserunt: Christiani verò hisce verbis insigniebant: SACRA MONETA AUGUSTORUM ET CÆSARUM NOSTRORUM. Repræsentabant autem tres Deas stantes, trutinas tenentes, quarum prima aureis, secunda argenteis, tertia æneis signandis consecrata censeretur. Quò pertinet Triumvirorum Monetalium solemnis inscriptio, cùm officii sui rationem suis nummis inscriberent, quam his characteribus exprimebant: A. A. A. F. F. quasi illis sese sponsores traderent æquitatis monetarum suâ autoritate procusarum, Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.

Tot tamque evidentibus argumentis omnino evinci arbitror, Numismata veteribus in usum Monetarum veniisse. Neque hîc ero prolixior. Illud saltem præterire silentio non possum, quod Cassiodorus docet lib. 6. cap. 7. his verbis: *ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur; monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commone-*

ra, Q

re. O magna inventa prudentum! o laudabilia instituta majorum, ut & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum. Insuper ut viri illustres ex Numismatis decus & famam aucupabantur, ita sperabant vicissim fore, ut ipsa Numismata ex imaginibus impressis immortalitate essent donanda, cùm nullus sit secuturis sæculis Heroum historias lecturus, nisi pariter eorumdem nummos vel ob solam antiquitatem in pretio esset habiturus: Quo nomine sane Numismata nobis vel maximè commendantur.

Neque tamen credi velim, omnia prorsus Numismata in usum pecuniæ & monetæ cessisse. Signa legionum cohortiumque Imperatorum imaginibus ex auro, argento vel ære erant decorata, pariterque & rebus ab ipsis insigniter gestis. Et illa quidem monumenta quæ S. C. notâ carent, mole atque pondere ita conspicua, vix inter monetas recensenda sunt, cùm potiùs probatæ monetæ sint testi-

monia, aliis de causis percussa. Eorum speciem, meo quidem judicio, referunt hæc donaria, quæ Gallis monetariis *Pieds-forts* dicuntur; normam enim ut alteram Polycleti, tradunt *pedis* nomine vulgò declaratam. Utraque hæc opinio probabilis apparet, neque verò officit menti nostræ, superiùs fusè explicatæ, quâ censemus omnia Antiquorum Numismata monetæ loco habita, exceptis iis, quæ formâ longè majore ponderosioreque, à Gallis *Medaillons* nuncupantur, de quibus infra, cap. XIX.

CAPUT VI.

De diversis Numismatum materiis.

Metalla, eò quòd sola essent fusilia pariter ac sculptilia ævumque duratura, materiam præbuere Numismatis & Monetis. Tria autem maximè in hos usus veniebant, Aurum, Argentum, Æs, de quibus sigillatim. Dionysius Syracusarum tyrannus stanneam percussit monetam, Aristotele teste. Quod & in Lybia Indiaque usurpatum etiamnum tra-

tradunt Hiſtorici. Verumtamen, quia mixtura ſtanni & argenti occaſionem præbuit hominibus privatis, monetas adulterandi, factum eſt, ut Romani monetis hiſce uſu communi interdicerent. *Eadem lege exprimitur, ne quis nummos ſtanneos, plumbeos, emere, vendere dolo malo venit. Dig. lib.* 8. 4. 10. *leg.* 9. §. 2.

Et quamvis hæc eadem lex interdicat pariter uſu nummorum plumbeorum; conſtat tamen Romanos quandoque iis uſos. Eſt mihi Numiſma tale, in *Fam. Rom. pag.* 207. deſcriptum, in quo C. PEDANI. Eſt & aliud Neronianum in quo IMP. NERO CÆSAR & facie averſa PAULLIN. Præter illud Claudii in quo IO IO SAT, aliumque nummum Britannicum Carauſii, cum hac epigraphe EXPECTATE VENI.

Vocabulum *Nummi plumbei* apud veteres ſcriptores ſæpiùs occurrit, ita Plautus, *in moſtellaria: Tace tu, faber, qui cudere ſoles plumbeos nummos*; ut trilinguis ille eruditionis Phœnix Eraſmus non dubita-

bitarit *Nummum plumbeum* pro *minimo pecuniæ* proverbialiter afferre. Idem Plautus, *in Casina: cui homini peculi nummus non est, nisi plumbeus.*

Veteres Britannicarum insularum incolas ferreis usos monetis, testis est omni exceptione major Julius Cæsar, *Comm. 5. de bel. Gall.* quod idem de Clazomeniis asserit Aristoteles *in œcumen. lib. 2.* & Plutarchus *in vita Lycurgi & Lysandri*, de Lacedæmoniis, his verbis: *Spartæ Nomisma utile abolitum est, cujus mina Æginensis quatuor asses æreos valebat.* Ut & Pollux de Byzantinis.

Savotius noster mentionem facit Monetæ Romanæ, quam ferream fuisse probat, quòd à magnete attrahi visa fuerit. Verùm ego existimo adulterinam potiùs fuisse falsarii cujusdam, quam autoritate publicâ procusam.

Deficiente verò materia metallica aut languente Monetariorum industriâ, alia in monetæ vulgaris materiam adscita leguntur, ut fuêre terra cocta, electrum nigrum, gagathes, lignum, cortices arbo-

arborum, chartaceum, sal, conchylia, nuclei, silices, murrhina alba, quorum aliqua penes me conspicua sunt. Verumtamen ista nec satis usibus quotidianis commoda, nec nisi egestatis sublevandæ causâ inventa, barbaris tantùm gentibus, rerum ignaris aut laboris impatientibus, usitata. Lacedæmonios *Numismate coriaceo usos* fuisse docet Stobæus, serm. 145. quod idem apud Senecam scriptum legitur, de benef. l. 5. c. 14. *Æs alienum habere dicitur & qui aureos habet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstat.*

Urbes obsidione diuturnâ cinctæ & ad pecuniæ egestatem redactæ nummis ex varia materia suppositiis, certo tamen charactere, fictoque pretio, legitimum excedente, signatis utebantur, qui quidem militibus præsidiariis civibusque obtrusi, eâ tamen lege ut magistratus obsidione solutâ, eodem quo protruserat pretio, ab iisdem recipere teneretur. Inter plurimos hujus generis ostendere licet

qua-

quatuor æreos vario emblemate pretioque Cazali signatos, cùm illam, defendente Toiracio, Galliæ ut vocant Mareschallo, oppugnarent Hispani.

Copiam hîc facere lubet alteriusadmodum spectabilis ex spissiore charta confecti, an MDLXXIV. Hispanis Lugdunum Batavorum diuturna obsidione cingentibus, cui pretium quatuordecim solidorum erat addictum. Neque verò animus est susiùs umbratiles hosce nummos persequi; Qui plura ex his desiderat, egregium opus consulat cui titulus est, *Curieuses recherches des monoyes de France, par Mr. de Bouteroüe Conseiller &c.* Nos ad alia properamus.

CA-

CAPUT VII.

De Numismatibus aureis.

Frequentes sunt in aurum invectivæ, tanquam omnis avaritiæ scaturiginem dum interim sine sua culpa malè audit; fonte omnium vitiorum non in auro sed in nobismet ipsis existente. Immoderati sunt affectus nostri, nimis sollicitè atque per fas & nefas auro inhiantes, quod ejus ope se consecuturos sperant, quidquid desideriis ipsorum blandiri potest. Interim aurum in se consideratum, excellens quidpiam & admiratione dignum est, sive metalli hujus colorem, sive partium unionem, solliditatem, aliasque ejus virtutes spectes, quæ ipsum inter tot metalla aliave corpora unicè ab omni corruptione & diminutione immune præstant.

Nequit immutari nisi apparenter admixti ne alius metalli, dum interim ipsa massa metallaris auri nomen retinet, numero saltem graduum, designandæ puritati,

tati, adscito. Ita enim aurum purissimum omnisque mixtionis expers, communiter viginti quatuor graduum habetur, (quos nomine ab Arabibus mutuato *carattos* vocant) & gradus puritatis pro quantitate albi & rubri metallo commisti diminutionem patiuntur. Sunt hæc nomina quibus communiter argentum & æs distinguuntur: ita ut una quarta albi pars, una quarta rubri, & duæ quartæ auri invicem commixtæ, aurum duodecim graduum constituant. Atque juxta hos gradus examinanda veniunt Numismata & monetæ.

Omnium autem antiquissima Numismata aurea quibus fruimur, in Græcia temporibus Philippi Regis Macedonum & filii ejus Alexandri Magni sunt percussa: Sunt illa existantiâ satis magnâ & exquisitâ puritate; continent enim viginti tres gradus & sedecim denarios, ut ad summam corum perfectionem ne quidem dimidius gradus desideretur. Philippus ille aurifodinas prope Crenidas in Thracia sitas, cùm hactenus exigui essent proventus,

tus, cura operisque adhibitis adeo se vexit, ut mille talenta ex iis quot m perceperit: hinc amplissimis collectis opibus, regnum Macedonicum ad luculentiorem fortunam brevi evexit, & aureum nummum PHILIPPICUM à se dictum cudi curavit. Herodotus quidem *l.* 1. Lydios *primos fuisse* asserit *qui nummum aureum argenteumque ad utendum percusserunt*: l. 1. cap. 94. Πρῶτοι δὲ ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, νόμισμα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κοψάμενοι ἐχρήσαντο: At eorum nihil ad nostras manus unquam pervenit.

Romæ quidem cœperunt aurea Numismata cudi LXII annis post argentea, testimonio Plinii, *lib.* 33. *cap.* 3. hoc est, DXLVI. ab Urbe condita, *sceleris tamen authore incerto*, inquit ille. Et Dio nos edocet proportionem inter aureas & argenteas eorum monetas: & aureas quidem valuisse XXV. drachmis. Veteres quoque Historici communi consensu testantur æquale fuisse drachmæ & denarii Romani pondus; neque est quod de ista convenientia dubitemus, cùm etiam nostris tem-

eandem finxerunt, quam frequenter ipsis nummis insculpserunt: Christiani verò hisce verbis insigniebant: SACRA MONETA AUGUSTORUM ET CÆSARUM NOSTRORUM. Repræsentabant autem tres Deas stantes, trutinas tenentes, quarum prima aureis, secunda argenteis, tertia æneis signandis consecrata censeretur. Quò pertinet Triumvirorum Monetalium solemnis inscriptio, cùm officii sui rationem suis nummis inscriberent, quam his characteribus exprimebant: A. A. A. F. F. quasi illis sese sponsores traderent æquitatis monetarum suâ autoritate procusarum, Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.

Tot tamque evidentibus argumentis omnino evinci arbitror, Numismata veteribus in usum Monetarum venisse: Neque hîc ero prolixior. Illud saltem præterire silentio non possum, quod Cassiodorus docet lib. 6. cap. 7. his verbis: *ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur; monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commone-*

re, O

re. O magna inventa prudentum! o laudabilia instituta majorum, ut & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum. Insuper ut viri illustres ex Numismatis decus & famam aucupabantur, ita sperabant vicissim fore, ut ipsa Numismata ex imaginibus impressis immortalitate essent donanda, cùm nullus sit secuturis sæculis Heroum historias lecturus, nisi pariter eorumdem nummos vel ob solam antiquitatem in pretio esset habiturus: Quo nomine sane Numismata nobis vel maximè commendantur.

Neque tamen credi velim, omnia prorsus Numismata in usum pecuniæ & monetæ cessisse. Signa legionum cohortiumque Imperatorum imaginibus ex auro, argento vel ære erant decorata, pariterque & rebus ab ipsis insigniter gestis. Et illa quidem monumenta quæ S. C. notâ carent, mole atque pondere ita conspicua, vix inter monetas recensenda sunt, cùm potiùs probatæ monetæ sint testi-

monia, aliis de causis percussa. Eorum speciem, meo quidem judicio, referunt hæc donaria, quæ Gallis monetariis *Pieds-forts* dicuntur; normam enim ut alteram Polycleti, tradunt *pedis* nomine vulgò declaratam. Utraque hæc opinio probabilis apparet, neque verò officit menti nostræ, superiùs fusè explicatæ, quâ censemus omnia Antiquorum Numismata monetæ loco habita, exceptis iis, quæ formâ longè majore ponderosioreque, à Gallis *Medaillons* nuncupantur, de quibus infra, cap. XIX.

CAPUT VI.

De diversis Numismatum materiis.

Metalla, eò quòd sola essent fusilia pariter ac sculptilia ævumque duratura, materiam præbuere Numismatis & Monetis. Tria autem maximè in hos usus veniebant, Aurum, Argentum, Æs, de quibus sigillatim. Dionysius Syracusarum tyrannus stanneam percussit monetam, Aristotele teste. Quod & in Lybia Indiaque usurpatum etiamnum tra-

tradunt Hiſtorici. Verumtamen, quia mixtura ſtanni & argenti occaſionem præbuit hominibus privatis, monetas adulterandi, factum eſt, ut Romani monetis hiſce uſu communi interdicerent. *Eadem lege exprimitur, ne quis nummos ſtanneos, plumbeos, emere, vendere dolo malo venit. Dig. lib.* 8. 4. 10. *leg.* 9. §. 2.

Et quamvis hæc eadem lex interdicat pariter uſu nummorum plumbeorum; conſtat tamen Romanos quandoque iis uſos. Eſt mihi Numiſma tale, in *Fam. Rom. pag.* 207. deſcriptum, in quo C. PEDANI. Eſt & aliud Neronianum in quo IMP. NERO CÆSAR & facie averſa PAULLIN. Præter illud Claudii in quo IO IO SAT, aliumque nummum Britannicum Carauſii, cum hac epigraphe EXPECTATE VENI.

Vocabulum *Nummi plumbei* apud veteres ſcriptores ſæpiùs occurrit, ita Plautus, *in moſtellaria: Tace tu, faber, qui cudere ſoles plumbeos nummos*; ut trilinguis ille eruditionis Phœnix Eraſmus non du-

bitarit *Nummum plumbeum* pro *minimo pecuniæ* proverbialiter afferre. Idem Plautus, *in Casina: cui homini peculi nummus non est, nisi plumbeus.*

Veteres Britannicarum insularum incolas ferreis usos monetis, testis est omni exceptione major Julius Cæsar, *Comm. 5. de bel. Gall.* quod idem de Clazomeniis asserit Aristoteles *in œcumen. lib. 2.* & Plutarchus *in vita Lycurgi & Lysandri*, de Lacedæmoniis, his verbis: *Spartæ Nomisma utile abolitum est, cujus mina Æginensis quatuor asses æreos valebat.* Ut & Pollux de Byzantinis.

Savotius noster mentionem facit Monetæ Romanæ, quam ferream fuisse probat, quòd à magnete attrahi visa fuerit. Verùm ego existimo adulterinam potiùs fuisse falsarii cujusdam, quam autoritate publicâ procusam.

Deficiente verò materia metallica aut languente Monetariorum industriâ, alia in monetæ vulgaris materiam adscita leguntur, ut fuêre terra cocta, electrum nigrum, gagathes, lignum, cortices arbo-

arborum, chartaceum, sal, conchylia, nuclei, silices, murrhina alba, quorum aliqua penes me conspicua sunt. Verumtamen ista nec satis usibus quotidianis commoda, nec nisi egestatis sublevandæ causâ inventa, barbaris tantùm gentibus, rerum ignaris aut laboris impatientibus, usitata. Lacedæmonios *Numismate coriaceo usos* fuisse docet Stobæus, serm. 145. quod idem apud Senecam scriptum legitur, de benef. l. 5. c. 14. *Æs alienum habere dicitur & qui aureos habet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstat.*

Urbes obsidione diuturnâ cinctæ & ad pecuniæ egestatem redactæ nummis ex varia materia suppositiis, certo tamen charactere, fictoque pretio, legitimum excedente, signatis utebantur, qui quidem militibus præsidiariis civibusque obtrusi, eâ tamen lege ut magistratus obsidione solutâ, eodem quo protruserat pretio, ab iisdem recipere teneretur. Inter plurimos hujus generis ostendere licet qua-

quatuor æreos vario emblemate pretioque Cazali signatos, cùm illam, defendente Toiracio, Galliæ ut vocant Mareschallo, oppugnarent Hispani.

Copiam hîc facere lubet alteriusadmodum spectabilis ex spissiore charta confecti, an MDLXXIV. Hispanis Lugdunum Batavorum diuturna obsidione cingentibus, cui pretium quatuordecim solidorum erat addictum. Neque verò animus est susiùs umbratiles hosce nummos persequi; Qui plura ex his desiderat, egregium opus consulat cui titulus est, *Curieuses recherches des monoyes de France, par Mr. de Bouteroüe Conseiller &c.* Nos ad alia properamus.

CA-

CAPUT VII.

De Numismatibus aureis.

Frequentes sunt in aurum invectivæ, tanquam omnis avaritiæ scaturiginem dum interim sine sua culpa malè audit; fonte omnium vitiorum non in auro sed in nobismet ipsis existente. Immoderati sunt affectus nostri, nimis sollicitè atque per fas & nefas auro inhiantes, quod ejus ope se consecuturos sperant, quidquid desideriis ipsorum blandiri potest. Interim aurum in se consideratum, excellens quidpiam & admiratione dignum est, sive metalli hujus colorem, sive partium unionem, soliditatem, aliasque ejus virtutes spectes, quæ ipsum inter tot metalla aliave corpora unicè ab omni corruptione & diminutione immune præstant.

Nequit immutari nisi apparenter admixti ne alius metalli, dum interim ipsa massa metallaris auri nomen retinet, numero saltem graduum, designandæ puri-

tati,

tati, adscito. Ita enim aurum purissimum omnisque mixtionis expers, communiter viginti quatuor graduum habetur, (quos nomine ab Arabibus mutuato *carattos* vocant) & gradus puritatis pro quantitate albi & rubri metallo commisti diminutionem patiuntur. Sunt hæc nomina quibus communiter argentum & æs distinguuntur: ita ut una quarta albi pars, una quarta rubri, & duæ quartæ auri invicem commixtæ, aurum duodecim graduum constituant. Atque juxta hos gradus examinanda veniunt Numismata & monetæ.

Omnium autem antiquissima Numismata aurea quibus fruimur, in Græcia temporibus Philippi Regis Macedonum & filii ejus Alexandri Magni sunt percussa: Sunt illa existantiâ satis magnâ & exquisitâ puritate; continent enim viginti tres gradus & sedecim denarios, ut ad summam corum perfectionem ne quidem dimidius gradus desideretur. Philippus ille aurifodinas prope Crenidas in Thracia sitas, cùm hactenus exigui essent proventus,

tus, cura operisque adhibitis adeo vexit, ut mille talenta ex iis quot perceperit: hinc amplissimis collectis opibus, regnum Macedonicum ad luculentiorem fortunam brevi evexit, & aureum nummum PHILIPPICUM à se dictum cudi curavit. Herodotus quidem *l.* 1. Lydios *primos fuisse* asserit *qui nummum aureum argenteumque ad utendum percusserunt*: l. 1. cap. 94. Πρῶτοι δὲ ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, νόμισμα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κοψάμενοι ἐχρήσαντο: At eorum nihil ad nostras manus unquam pervenit.

Romæ quidem cœperunt aurea Numismata cudi LXII annis post argentea, testimonio Plinii, *lib.* 33. *cap.* 3. hoc est, DXLVI. ab Urbe condita, *sceleris tamen authore incerto*, inquit ille. Et Dio nos edocet proportionem inter aureas & argenteas eorum monetas: & aureas quidem valuisse XXV. drachmis. Veteres quoque Historici communi consensu testantur æquale fuisse drachmæ & denarii Romani pondus; neque est quod de ista convenientia dubitemus, cùm etiam nostris tem-

nporibus exiguum sit drachmæ & de-
rii discrimen. Etenim moneta aurea
duodecim libellarum gallicarum cum di-
midia, accedit ad pretium XXV. dena-
riorum, unoquoque eorum pretium X.
solidorum gallicorum adæquante.

Qui Reipublicæ præerant magistr tus
semper summum observarunt puritatis
gradum (ut Monetariorum vulgaribus
verbis utamur) & Imperatores qui iis
succedebant non minùs erant ejus obser-
vantes. Cornelius Sylla Dictator, lege
quæ ab ipso nomen Corneliæ acceperat,
adigebat monetarios ut purissimum ela-
borarent aurum: quas constitutiones
Augustus lege Julia & Imp. Tacitus re-
novarunt. Bodinus, *de Republica lib. 6. cap. 3.* memorat probationem suo tem-
pore Parisiis institutam, qua apparuerit
aurea Imp. Vespasiani Numismata, ea
fuisse puritate & bonitate ut Præsides rei
monetariæ & aurifabri oculatissimi vix
septingentesimam octogesimam octa-
vam partem adulteratam deprehende-
rint.

At-

Atque ita aurum purum in usu esse cœpit, usque ad tempora Imperatorum Alexandri Severi, qui permisit ut quinta pars argenti quatuor auri portionibus admisceretur, de quo Lampridius ait, quòd pluribus monetis ejus imago fuerit repræsentata, cum ornatu Alexandri Magni, & iis quæ ex electro erant: ita enim vocabant mixturam quatuor auri & unius argenti portionum. Et quoniam in nonnullis rem monetariam correxit, quod nonnulli interpretantur quod æquaverit veterem monetam proportioni communis monetæ in tributum populi aut stipendium militum exolvendæ; inde Numismata ei tanquam RESTITUTORI MONETÆ consecrata fuere. Et certè successores ut & antecessores ejus leges illas monetarias tanta sanctitate observarunt, ut nulla moneta Romana nisi fictitia ex auro minùs puro reperiatur.

Dantur & aurea Numismata maximi moduli, magnitudinem communem excedentia: Verùm cum sint rarissima, in iis curiosè investigandis non ero prolixior;

lixior ; quin potius lectorem in cognitionem Numiſmatum quæ vulgò occurrunt adducam ; magnitudinem , characteres & genium percutientium paucis traditurus , ſimulque exhibiturus unum ſuo typo atque raritate ſummè conſpicuum.

Ab altera parte conſpicitur facies Imp. Septimii Severi; ab altera Princeps magnificentiſſimus inter filiorum par Caracallam & Getam conſidet , & Dea Liberalitas ſua teſſera cornuque copiæ conſpicua, theſauros ejus in populum largiſſimè effundit.

Licebit ſeriem monetarum aurearum Romanarum typis, inſcriptionibuſque ut materia nobilium contexere : Sexcentæ interim aut ſeptingentæ exhaurient ominem curioſæ indaginis operam : Neque enim

enim ampliorem numerum obſervare mihi contigit, etſi frequenter ad Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, Regis Chriſtianiſſimi, Sereniſſimique Electoris Palatini, hac in parte quoslibet, me judice, ſuperantium, cimeliarchia frequenter admiſſo.

CAPUT VIII.

De Numiſmatibus argenteis.

USque adeo vilius argentum eſt auro, ut libra una hujuſce ferè æquiparetur libris illius quatuordecim: veteri quippe ævo tantum decem. uti ſic docet Livius. l. 38. *Pro argento ſi aurum dare nollent, convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret.* Utrumque tamen Numiſmatum noſtrorum materiam præbet pretioſiorem. Et aurea quidem ſuo ſe pretio chariora & rariora reddunt, quò pauciores ſunt, quibus eſt auri copia dum argentea manus plurium ſubeunt, & rerum antiquarum ſtudioſis illuſtriſſima dant hiſtoriæ veteris documenta.

Auriſabri gradus argenti *Denariorum*

NO-

nomine insigniunt, ut ultimus isque perfectissimus sit duodecimus; sic ut vigesimus quartus auri gradus ejusdem puritatem absolvat, Arabico nomine *Carat* vulgò designatus. Argenteorum Numismatum veterum materia proximè accedit ad hanc ultimam metalli perfectionem, duodecimum scilicet denarium; demantur modò quæ sequioribus sæculis percussa: iis enim, ob universalem inopiam, argentum æri permixtum in usum venit. Nec ratio habeatur adulterinorum, avaritia quorumdam in crimen publicum deducta. Hinc enim fit, ut, si quando Vulcano tradantur, magna oriatur fundentibus jactura. Quædam Græca laminam argenteam ostentant interiore sui parte nonnisi vel ærea vel ferrea, longè tamen plura Reipublicæ Rom temporibus Imperatorumque. M. Antonius ferula censoria notatus est ab historicis, quòd laminis ferreis argentum superinduxerit, & publicæ monetæ loco esse jusserit. Falsarii, monetæ veteris adulteratores, tenui admodum lamina argentea num-

nummos ex ære & ferro vestiebant, sed qui legitimorum characteribus erant insigniti: Ars illa nequissima, ingeniosa fraude adjuta, anceps fecit inter æra & lupinos judicium, ut ipsi veterum Numismatum periti, de hujus monetæ antiquitate minimè dubitent, cùm ferrum aut æs argento superinduto, typis veteribus cusum cernunt.

De tempore quo primùm Romanis in usu esse cepit moneta argentea, edocet nos Plinius, hist. nat. l. 33. c. 3. *Argentum signatum est an.* V. C. CD. LXXXV. *Q. Ogulnio & C. Fabio Coss. scilicet ante bellum Punicum quinquennio. Et placuit Denarius pro decem libris æris, Quinarius pro quinque, Sestertius pro dipondio & semisse.* Hoc equidem certum est, Denarium vulgò notatum signo X, literâ numerali, quâ Romani pretium decem librarum æris designabant, quo quidem ære utebantur, ut cap. XV. declarabitur. Quinarius sive Victoriatus signabatur V, numero Romanorum quinario. Sestertius signum sibi proprium vindicabat

compoſitum ex littera L geminatâ eâque diſſectâ, addito S hac formâ ⊣⊢S. Ille quidem Denarius, Q. Fabio Maximo Dictatore, valebat ſedecim aſſibus, Quinarius octo, Seſtertius quatuor, quod ipſum poſt Plinium edocent tres nummi mei, quibus gradus valoris ſeu pretii accuratè & eleganter ſunt expreſſi. Ad. Occone porrò Antiquario celeberrimo ſe nunquam Seſtertium cum nota LLS vidiſſe affirmante in epiſtola ad JC. Amerbachium ſcripta. Diſcrimen non reticebo inter Seſtertios & Seſtertia. Illi ſingulos nummos indicabant, ita viginti ſeſtertii decem quinarios ſeu quinque denarios continebant; viginti vero ſeſtertia, ſeſtertiorum millia viginti pendebant. Forte compendio loquendi in uſum adducto, ut qui viginti millia ſeſtertiorum voluerint indicare, imperitè primùm dixerint viginti ſeſtertium. Et cùm ad nongenta ſeſtertium millia pervenerant, negata ulteriori computandi ratione, alio compendio majore ſignificaverunt, ſic cum millena ſeſtertium

millia

millia erant exprimenda, decies seſtertium ſentiebant, ita unies, centies, millies. Exemplum eſt apud Ciceronem or. 3. in Verrem : Dionem Seſtertium decies centena millia numerâſſe.

Sæpiùs autem illud pretium ad priſcorum temporum rationem reducebatur, quod majus minúſve ſemper remanſit, ad uſque Imperii inclinationem. Æquitatem Romanorum in cudendis monetis indicat abunde hæc Plinii narratio lib. 6. c. 22. *Annii Plocami, qui maris rubri vectigal à fiſco redemerat, libertus circa Arabiam navigans, aquilonibus raptus præter Carmaniam* XV *die Hippuros portum ejus invectus, hoſpitali Regis clementia ſex menſium tempore imbutus alloquio, percontanti poſtea enarravit Romanos & Cæſarem :* (hoc autem Claudii principatu contigit) *mirum in modum in auditis juſtitiam ille ſuſpexit, quòd pares pondere denarii eſſent in captiva pecunia, cùm diverſæ imagines indicarent à pluribus factos. Et hoc maximè ſollicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit, &c.*

Referebant autem ut plurimùm Romam, ut Deam, galeâ ornatam & aversa facie Castorem & Pollucem aliaque illius ævi numina. Postea exprimebant etiam Victorias, unde nomen nummis victoriatis: deinceps additi & currus triumphales, bigis quadrigisve instructi, unde *denarii bigati & quadrigati*, apud Plinium *l.* 33. *c.* 3. Sequioribus temporibus, Magistratus, rei monetariæ à Senatu præfecti, Deos suos, Majores item, triumphos & dignitates exprimebant. Neque tamen illis fas erat, effigies proprias insculpere, dònec Pompejus id sibi obtinuit juris, quod ante eum ausus est nemo, & Julius Cæsar postea Senatusconsulto obtinuit, posterique Imperatores usurpârunt.

Numismata & monetæ communiter ex argento cudebantur omnibus ferè temporibus: sic apud Græcos Romanosve in usu fuit, ut & apud Hebræos, Gothos, Hispanos, recentioresque gentes, quibus vel aurum minùs frequens, vel æs nimis vile visum est. De diversis

autem

autem gentium & temporum numiſmatibus argenteis ſigillatim uno atque altero capite agemus.

CAPUT IX.

De Numiſmatibus Græcis.

EXſtant Numiſmata græca temporibus Amyntæ Macedoniæ Regis cuſa, quibus tamen omnino dari antiquiora, ut & ad noſtra ſæcula non tranſmiſſa, nulli dubitamus. Primitus imagines Deorum ſuorum repræſentabant, deinceps & Regum, quibus adulatio inter Deos locum dedit. Triplex autem metallum adhibebatur, de quo proin triplici Numiſmatum genere erit nobis paucis dicendum. De argenteo quidem primariò, de reliquis occaſione hâc datâ, & ne deinceps recurrat dicendi neceſſitas.

Minimum ærei Numiſmatis vocabatur λεπτὸν, quorum duo, vidua illa paupercula in gazophylacium reparan-

do templo Hierosolymitano, immisit. *Luc.* 21. 2. χαλκὸς illorum valebat octavam oboli partem, inde δίχαλκον, τρίχαλκον, τετράχαλκον. Sextam drachmæ partem adæquabat κίδαξ Græcorum, quò fere & oboli pretium accedebat. *Hilar. in* 17. *cap. Math.*

Drachma erat moneta argentea sex obolorum, æquabatque pretium unius denarii Romani: Didrachma duorum: Tetradrachma quatuor. Erat & drachma, de qua in sacris paginis. *Luc.* 15. 8. *& alibi.* Audiatur *Plinius*, l. 21. c. ult. *Drachma Attica denarii argentei pondus habet.* Mina, quam illi μνᾶ, duplex erat, Antiqua LXXV. & nova C. drachmarum. Neque verò quispiam minam aut talentum nomina monetæ reputet, qua utimur in commerciis, quin potiùs æstimium & pretium certum designabant, quod nonnisi multo græcarum monetarum numero pendi poterat. *Plut. in Solone.*

Talentum ergo Atticum complectebatur LX. minas & harum quælibet C. drach-

drachmas; adeoque sex drachmarum millia, sive ter mille libellæ nostrates conficiunt talentum Atticum.

Stater moneta erat aurea, ad duarum drachmarum aurearum pondus exacta, pretiúmque adæquans viginti drachmarum argentearum: sed & stateres argentei dabantur.

Omnia hæc numismata hieroglyphicis & ænigmatis suis, unicuique provinciæ propriis, insigniebant. Sortilegi Delphi delphinum ob conformitatem nominis gerebant. Athenienses avem Minervæ consecratam, noctuam illam suam, procudebant. Bœotii Bacchum signabant, cum botro & cratere, ad vini sui copiam & excellentiam deprædicandam. Macedones efformabant Argyraspidum suorum clypeum, unde exercituum præcipuum robur. Rhodii repræsentabant caput solis, quorum colossus inter mundi miracula relatus Insulæ huic nomen immortale conciliabat. Paucis omnis magistratus volupe habebat, regionis aut urbis suæ insignia nummis

mis vulgaribus exprimere: communiter quidem argento puriſſimo aut ære, quod ipſis erat vulgare, aurum verò rariſſimum, ut præter aurea Philippi & Alexandri numiſmata, cætera quæ exſtant, ſint pauciora & parciora.

Dolendum ſanè detrimentum quod hiſtoriæ ex deperditis omnis generis numiſmatibus græcis patiuntur, ex quibus ſi vel pauciſſima exſtarent, multa haberemus comperta, de quibus apud Hiſtoricos altum ſilentium; multis etiam, quæ in fabulis vulgò habemus, ſua conſtaret fides. Ut propterea tantò diligentiùs cuſtodienda & rimanda quæ nobis reſidua ſunt, quò plura periiſſe dolemus.

Conſpicimus inibi viginti Regum quà Macedoniæ, quà Aſiæ, quà Syriæ, quà Ægypti, quos regulos vocare liceat, capita; Legimus deinde nomina civitatum pluſquam ducentarum, cum characteribus peculiaribus. Genuinam inde eruimus veterum geographiam, cum variis inventis ingenioſiſſimis,

quæ

quæ posteris exemplo inservire possunt.

Hoc Numismatis genus antiquitatis gloriam præripit Romanis, nonnisi ad eorum exemplum, tanquam πρωτότυπον, effictis, & quod volupe omninò est, diversa scalpturæ præstantiâ, quoscunque rapiunt in admirationem: video ut multi græcos nummos Romanis præstantiores esse censeant insigni gravitate atque peritiâ. Alii contrà ab hisce superatos græcos opinantur, blando polito atque ad miraculum usque deducto artificio, sicque omnem græci Numismatis gloriam in romanum conferunt. Præstantissimi nostri temporis delineatores, litem hanc unà mecùm indecisam relinquere malunt, quàm detrahere his, quod arrogent illis, aut demere gloriæ illorum, quo horum laudes exaggerent.

Neque verò in antiquioribus Numismatis græcis recensemus quæ in honorem Romanorum, multo numero, sunt percussa: notum enim, Græcos cum tempore mores pariter mutâsse; unde

nec mirum, eos alieno imperio subjectos, Romanis rerum Dominis adulari cœpisse, usquedum acerrimis contentionibus inter se certarent de gloria tum Imperatoribus Romanis tum etiam Genio Urbis, Senatus Populique templa edificandi dicandique, quod sibi perhonorificum ducebant.

A tempore autem deperditæ libertatis, cùm monetæ aureæ & argenteæ usu ipsis esset interdictum, rarissimè aureas cudebant, æneis in vulgares necessitates adsciti, eâ formâ & modo, quo cap. XVII. declarabitur.

Difficultates quæ in disponendis ordine chronologico hisce Numismatibus, concinnandáque eorum perfecta serie tales occurrunt quales plurium conatus irritos fecêre; dónec Hubertus Goltzius Antverpianus eruditis scalpturis, Schottusque atque Nonnius descriptionibus elegantissimis studium longè facilius effecerint, quibus historiam Asiæ minoris, maris Ægæi insularum, Græciæ, Siciliæ, ejusque Italiæ partis, quæ olim

olim Magna Græcia nuncupabatur, illuſtrarunt. Sollicitâ curâ inveſtigârunt coloniarum græcarum origines, quarum nobis monumenta ſuperſunt, quibus apprimè nobis confirmantur, quæ de origine multarum urbium ad oram maris mediterranei exſtructarum, Maſſiliæ cumprimis, apud Hiſtoricos occurrunt.

Numiſmatum græcorum duo genuina exempla hic ſubjunxi, quorum prototypos in meis numero. Alterum refert divinum Vatem poëſeos & hiſtoriæ patrem, cujus averſa facies ortum ejus explicat.

Meletis fluvii nomen inſcriptum legitur, à quo, quòd ad ejus ripas natus

crederetur Homerus, priùs Herodoto teste μελησιγένης dictus erat. Decurrebat is Fluvius prope Smyrnam, & Numisma Amastrianorum nomen fert, coloniæ, ut opinor, eò deductæ. Veteres (*Cicero pro Archia*) obſervarunt oppidulum, Homeræum dictum, uſum eſſe vulgari moneta, effigie nomineque Homeri inſignita.

Alterum Numiſma famoſam illam Cleopatram repræſentat quæ regnum plus amorum illecebris quibus Julium Cæſarem perſtrinxit quàm natalibus ſuis

debet. Nomen & dignitas regia græcis characteribus exarata cernuntur, quibus in Syria & Ægypti regionibus, à tempo-

tempore Alexandri M. utebantur. Aquila averſi nummi ſymbolum eſt ſupremæ majeſtatis, quippe avium rex. Cornucopiæ exprobratura videtur Romanis beneficium ingens, idque frumentarium, quo inopiâ victûs preſſos affecit. Sed de his abunde in opere noſtro *de nummis ex are mediocri*.

CAPUT X.

De Numiſmatis Romanis Conſularibus.

Inſtituti mei non eſt, Numiſmata conſularia omnia ſeorſim enarrare, juxta ſeriem temporum, quibus ſumma rerum penes Conſules erat: nec enim manuductio noſtra patitur ad ſpecialia deſcendere. Hub. Goltzius ea vulgavit ordine chronologico, cujus tamen antiquiſſima omnium moneta, cùm nonniſi ab an. V. C. CCCCLXXXIV. repetatur, & nos ex noſtris vix dimidiam partem eorum quæ ipſe exhibuit, ſuppeditare valeamus, placuit methodo

potiùs Fulv. Urſini inſiſtere, quâ omnia Numiſmata conſularia, ſecundùm Familias Romanas diſpoſuit, quæque omnia vidimus, neque eo excepto COCLITIS nomen ferente ab Imp. Trajano reſtituto ad HORATIAM familiam relato, quod à nemine hujus ſæculi viſum inveſtigatumque audivimus.

Duo autem maximè conatibus Goltzianis obſtare video: unum eſt, quod plura videntur in genuinis repoſita, quorum ectypos, neque nos, neque ullus alter prototypos vidit, quare ficta fuiſſe ab erudito viro, gravis eſt ſuſpicio. Alterum, quòd commentariis careant, quò fit, ut ſitis potius excitetur quàm ſedetur; Fulv. contrà Urſino deſideriis lectoris omninò ſatisfaciente. Uterque interim experientiæ conſummatiſſimæ laudem à poſteris meruit, eam certè, qua utriuſque opera ſibi, ſuo jure, prima in bibliothecis illuſtrioribus ſubſellia depoſcere videntur, inter ſeptem primorum hiſtoriæ Rom. ſæculorum ſcriptores.

Cæterum

Cæterum Romani, ut ſuperius dictum eſt, ſuos nummis cudendis præficiebant Magiſtratus, quorum operâ, ſucceſſu temporis, trium metallorum æris, argenti, auri, uſus invaluit, magnitudine diversâ, uſque adeo ut & ærei nummi ſub triplici formâ procuderentur: atque id præcipuè Auguſti temporibus, eruditione, ingenióque priora quavis longè ſuperantibus. Nummos autem conſulares, quos ad mille cum triginta ſeptem numeramus, ad ſeptuaginta octo Familias Rom. redigimus, quibus & indies alii priùs incogniti accedere debent. Vidi equidem quadraginta duos aureos, ſeptingentos quadraginta & unum argenteos, ducentos quinquaginta quatuor æreos, niſi fortè eundem repetitò numeravi, ad diverſas Familias relatum. Exemplo ſit nummus à Sepullio Macro, in Julii Cæſaris honorem, cuſus, ad familiam JULIAM pariter ac SEPULLIAM referendus. Methodus interim noſtra & facilior eſt & certè ad captum rei nummariæ Tironum

num magis adornata, quâ antehac FAMILIAS ROMANAS EX ANTIQUIS NUMISMATIBUS exaravimus an. 1663. Parisiis impressas, quibus horum mille & triginta septem numismatum icones atque explicationes prodidimus. Quædam præterea à nobis observata sunt, illis data occasione inserenda summa nostra diligentia ne dicam industria ac felicitate comparata.

Vulgò autem numismatum consularium nomine veniunt, ea quæ stante Republica percussa sunt: quamvis talia præcisè dici non debeant, quasi à Consulibus solis omnia sint edita. Constat enim etiam jubentibus prætoribus, tribunis, imperatoribus & ædilibus nonnulla prodiisse. Potior pars eorum quæ primi duo Imperatores Jul. Cæsar & Augustus ediderunt, consularia dicuntur in ordine ad consulatum, unde suam potentiam mutuabantur. Paulò tamen post, dignitas illa consularis ita cœpit vilescere, ut & sortis infimæ personis facta fuerit communis.

Non-

Non possum non profiteri affectum, quo hujus generis Numismata veneror, non tam ob antiquitatem & tot Illustrium virorum exsculpta nomina, quorum aliàs omnis periisset memoria, quàm ob insignia hieroglyphica illustriaque facinora iis expressa. Conspiciendum se præbet Lepidus Consul à S.P.Q.R. Alexandriam missus, Ptolomæo pupillo præfectus, Regique deinde, eádem autoritate, ut TUTOR REGIS coronam imponens, sicut fert typus octavi nummi gentis ÆMILIÆ. Videmus M. Antonium, gestientem affectum pariter ac formam Cleopatræ suæ exprimere; & divinum sacrificii cultum non Ægyptiis modò, sed populis Asiaticis imperare, simulque posteros in parem libidinis vesaniam pellicere. Id quod plurima Numismatum ANTONIÆ familiæ præ se ferunt. Est alius Familiæ JUNIÆ nummus, M Brutum ceu Virtutem à Fortuna oppressam referens, in cujus aversо typo duo signati sunt pugiones quibus confectus J. Cæsar, pileusque liber-

libertatis ſymbolum in medio poſitus, quæ Cæſaris nece Romanis reddita credebatur, addito & die parricidii, EID. MAR. quas cavere juſſerat Mathematicus. Numiſma eſt aureum Pompei M. à Sexto ejus filio in Siciliâ reſtitutum, cùm Romanos proſcriptos reciperet, quo coronam querceam, ob cives ſervatos, meritus eſt. In familia POMPONIA videre licet Muſas novem, cum Hercule ſuo Muſagete, variis ornamentis. Atque, ut tandem finiam, in Numiſmatibus hiſce conſularibus, tot diverſa numina, diverſa ſacrificiorum, triumphorum, ænigmatum & hieroglyphicorum genera conſpiciuntur, ut qui his non capitur, ei ad omnem deliciarum ſuavitatem, quæ hiſtoriam, antiquitatem, eruditionem ſpectat, palatum obſurduiſſe neceſſe ſit.

Unus ſit plurium loco Nummus QUINTI ATII LABIENI PARTHICI MAXIMI. Cùm ille à partibus ſtaret Bruti Caſſiique, auxilia adverſus Auguſtum Marcumque Antonium miſſus

eſt

eſt qui à Parthis quæreret, occidentis exercitibus opponenda. Sed auditâ ante adventum ſuum, Amicorum nece

ultimorúmque Romanorum, maluit inter barbaros vitam agere, quàm Romanorum, quos tyrannorum loco habebat, crudelitati ancipitem ſortem committere. Nomen interim ſumens PARTHICI, anteceſſorum ſuorum exemplo, quibus volupe fuit à regionibus à ſe devictis arceſſere agnomina, qualia erant Scipionum Africani & Aſiatici, Metelli Numidici, Mummii Achaici, Antonii Armeniaci &c.

CAPUT XI.

De Numiſmatibus Imperatorum Romanorum.

Inclytum Imperatorum nomen omnium ora & venerationem ſubit, quod tamen pauci penitius perſpectum habent, multis maximiſque quâ virtutibus quâ vitiis celebre. Adeò iſta ſæcula nihil mediocre, ſed cuncta vel excellenter bona, vel impensè mala tulêre: quod ipſum Numiſmata hæc actionum vel præclarè, vel turpiter geſtarum indices apprimè deſignant, animos ſtudioſorum excitantia pariter & recreantia. Sunt inſuper communiora, jucundiora & faciliora, à quibus, meo judicio, initium cognitionis noſtræ circa rem nummariam fieri poterit.

Suppetunt nobis univerſa ab Jul. Cæſare ad uſque Heraclium, ut & maxima copia aliorum à Principibus aut Tyrannis percuſſorum, cùm primum rerum ſummâ ſunt potiti. Jus etenim imagi-

num

num monetis vulgaribus exſculpendarum ſtatim à primis temporibus cepit in uſum vocari: A Phocæ verò & Heraclii temporibus ſenſim periere artes & ſcientiæ elegantiores: Italiâ univerſa Gothis gentibuſque aliis barbaris in prædam cedente, quibus majus erat armorum quàm artium & bonarum litterarum ſtudium. Horum autem Imperatorum monetæ uti Imperii Rom. majeſtatem, ita & noſtras ſeries finiunt.

Jul. Cæſar primus ex illis fuit qui rerum potitus imaginem ſuam, titulo Dictatoris perpetui, Romanis monetis exprimi juſſit; quod ipſum Auguſtus imitatus, ſucceſſoribus modum dedit abolendæ quod ſupererat libertatis publicæ, cujus illi ne umbram reliquam fecerant. Arrogabant ſibi deinceps ſplendidos dignitate ut & autoritate titulos, quales erant Pontificis & Cenſoris, ſuppreſſis interim Dictatoris & Regis nominibus, quæ illi invidiæ declinandæ repudiabant: Autoritate quoque eorum munerum imminutâ, quæ

hacte-

hactenus necessaria habita, qualia erant Consulum, Senatorum & aliorum.

Erant autem Numismata eorum prima ex argento puro si adulterina excepperis, quæ omnia conflasse Tiberium Imp. notat Xiphilinus è Dione, usque ad Severi & Caracallæ sæculum, quo illis admixta fuit æris portio, sicque deteriori metallo facta pejus exemplum successoribus iterum adulterandi præbuere. Crevit ita istud vitium, ut ejusmodi argenti ære adulterati libra nonnisi sexdecim Francis, ut Galli vocant, valeat, cùm tamen ex argento puro quinquaginta & quatuor valuerit. Usque adeò tandem monetæ corruptæ sunt ut vix ab ære discernerentur, argenteæque apud Gallos non audiant, sed peculiari metalli mixti nomine, *billon*, subintelligantur. Diocletiani temporibus sequentiumque Impp. puritas monetis reddita est, pondere tamen & magitudine diminutis. Ærario enim ex bellis diutinis argento & auro fere exhausto, postremi Imperatores remedium præsentis inopiæ

inopiæ quærere tenebantur, ex veterum monetarum conflatione, & repercuſſione; inde rariores evaſêre, quàm quæ vigente imperio & ſub primis Imperatoribus vulgatæ erant.

Illæ autem non ſolos modò Imperatores Rom. ſed & uxores, patres, matres, fratres, ſorores, affines, & interdum amaſias repræſentant, quas nos Principum, quorum luce radiabant, Numiſmatibus ſubjunximus. Occurrunt etiam plurima Magnatum Numiſmata, quæ ſecundum temporum ſeriem, Imperatorumque ſuorum neceſſitudinem diſpoſuimus. Brutum Cæſari, M. Antonium, Cleopatram & Lepidum Auguſto ſubjecimus: Druſum Tiberio, Germanicum Caligulæ junximus, & ſiquidem belli duces exſtitêre, quos Romani Imperatores vocabant, inter IMPERATORIA Numiſmata vocare non dubitavimus. Quæ ſingula ut appareant luculentiora, en elenchum ſuppeditamus argenteorum noſtrorum.

Cneus

Cneus Pompejus Magnus.
Sextus Pompejus filius Cnei.
Juba Rex Mauritaniæ.
Juba filius.
Ptolemæus filius Jubæ filii.
JULIUS CÆSAR I. Imp.
Marcus Brutus.
Lepidus Trium-Vir.
Marcus Antonius Trium-Vir.
Cleopatra Regina Ægypti M. Ant. uxor.
Lucius Antonius frater Trium-viri.
AUGUSTUS II. Imp.
Livia Auguſta uxor Auguſti.
M. Vipſanius Agrippa.
Cajus & Lucius filii Agrippæ
TIBERIUS III. Imp.
Druſus filius Tiberii.
Druſus frater Tiberii.
Antonia uxor Druſi.
Germanicus filius Druſi & Antoniæ.
Agrippina uxor Germanici.
CAJUS CALIGULA IV. Imp.
CLAUDIUS V. Imp.
Agrippina uxor Claudii.
NERO VI. Imp.

GALBA VII. Imp.
OTHO VIII. Imp.
VITELLIUS IX. Imp.
Duo Liberi Vitellii.
VESPASIANUS X. Imp.
Domitilla uxor Veſpaſiani.
TITUS XI. Imp.
Julia filia Titi.
DOMITIANUS XII. Imp.
Domitia.
NERVA XIII. Imp.
TRAJANUS XIV. Imp.
Plotina uxor Trajani.
Marciana ſoror Trajani.
Matidia filia Marcianæ.
HADRIANUS XV. Imp.
Sabina uxor Hadriani.
ÆLIUS XVI. Imp.
ANTONINUS Pius XVII. Imp.
Fauſtina uxor Antonini Pii.
M. AURELIUS XVIII. Imp.
Fauſtina uxor M. Aurelii.
VERUS XIX. Imp.
Lucilla uxor Veri.
COMMODUS XX. Imp.

Crispina uxor Commodi.
PERTINAX XXI. Imp.
DIDIUS JULIANUS XXII. Imp.
Manlia Scantilla uxor Did. Juliani.
Didia Clara filia Did. Juliani.
PESCENNIUS NIGER XXIII. Imp.
ALBINUS XXIV. Imp.
SEPT. SEVERUS XXV. Imp.
Julia Domna uxor Severi.
CARACALLA XXVI. Imp.

Quo tempore monetæ non ex argento puro sed æri mixto cudebantur.

Plautilla uxor Caracallæ.
P. GETA XXVII. Imp.
MACRINUS XXVIII. Imp.
DIADUMENIANUS XXIX. Imp.
ELAGABALUS XXX. Imp.
Julia Paula uxor Elagabali.
Aquilia Severa uxor Elagabali.
Julia Mæsa avia Elagabali.
Julia Soemias mater Elagabali.
Julia Mammæa mater Alex. Sev.
ALEXANDER SEVERUS XXXI. Imp. Bar-

Barbia Orbiana uxor Alexandri Sev.
MAXIMINUS XXXII. Imp.
Paulina uxor Maximini.
MAXIMUS XXXIII. Imp.
GORDIANUS AFRICANUS pater XXXIV.
GORDIANUS AFR. filius XXXV.
BALBINUS XXXVI. Imp.
PUPIENUS XXXVII. Imp.
GORDIANVS pius XXXVIII. Imp.

Plus æris quàm argenti monetis illius temporis ineſſe, notandum eſt.

Tranquillina uxor Gordiani.
PHILIPPVS pater XXXIX. Imp.
Otacilia Severa uxor Philippi.
PHILIPPVS filius XL. Imp.
TRAJANVS DECIVS XLI.
HERENNIVS ETRVSCVS XLII.
HOSTILIANVS XLIII.
TREBONIANVS GALLVS XLIV.
VOLVSIANVS XLV.
Herennia Etruſcilla uxor Voluſiani.
ÆMILIANVS XLVI.

VALERIANUS XLVII.
Mariniana uxor Valeriani.
GALLIENUS XLVIII.
Salonina uxor Gallieni.
Salon. Valerianus filius Gallieni.
Licin. Valerianus frater Gallieni.
Cnea Cornelia Supera uxor Lic. Valer.
POSTUMUS pater.
POSTUMUS filius.

Numerus Imperatorum circa hæc tempora exortus est, quos aliena victoria Tyrannos fecit.

CLAUDIUS Gothicus.
QUINTILIUS.
AURELIANVS.
Severina uxor Aureliani.
TACITVS.
FLORIANVS.
PROBVS.
CARVS.
CARINVS.
NVMERIANVS.
DIOCLETIANVS.

CA-

CARAVSIVS.
ALECTVS.
JVLIANVS.
MAXIMIANVS.
CONSTANTIVS Chlorus.
Helena uxor Conſtantii Chlori.
Theodora uxor Conſtantii C.
GALERIVS MAXIMIANVS.
Galeria Valeria uxor Gal. Max.
GAL. VAL. MAXIMINVS.
VALERIVS SEVERVS.
CONSTANTINVS Magnus.
Fauſta II. uxor Conſtantini M.
Criſpus filius Conſt. M. & Minervinæ.
MAXENTIVS.
Magnia Vrbica.
Romulus Cæſar.
LICINIVS pater.
LICINIVS filius.
DELMATIVS.
CONSTANTINVS junior.
CONSTANS.
CONSTANTIVS.
MAGNENTIVS.
DECENTIVS.

JULIANUS.
JOVIANUS.
VALENTINIANUS.
PROCOPIUS.
VALENS.
GRATIANUS.
VALENTINIANUS Junior.
MAGNUS MAXIMUS.
VICTOR.
THEODOSIUS.
Ælia Flaccilla uxor Theodosii.
EUGENIUS.
ARCADIUS.
EUDOXIA uxor Arcadii.
HONORIUS.
THEODOSIUS junior.
ÆLIA EUDOXIA uxor Theodos. junioris.
JOVINUS.
SEBASTIANUS frater Jovini.
JUSTINUS.
JUSTINIANUS.

Illis temporibus regnavere in Italia ATHALARICUS, THEODATUS, WITIGES,

GES, TOTILAS, quos exhibent nummi argentei.

PHOCAS.

HERACLIVS.

Atque hîc terminum Numiſmatibus Imperatoriis juxtaque bonis litteris & gloriæ Imperii Romani poſuere Gothi & Africani. Unum ex iis exponam, quod alterâ ſui parte Fauſtinam, matrem, Antonini Pii conjugem, alterâ honores ei habitos refert, dum matres, filias ſuas tutelæ educationique, in ſpem amplioris fortunæ, committere videntur; Et ipſa quidem Fauſtina, quòd lubens eas ſuſciperet, ſponſionis pignoriſque loco ſuum nomen iſti nummo inſcribi paſſa eſt, PUELLÆ FAUSTINIANÆ.

Lucem nummo affert Julius Capitolinus, *in vita Pii*, his verbis, *Puellas alimentarias in honorem Faustinæ Faustinianas constituit Antoninus.* Quod idem videtur imitatus M. Aurelius in gratiam suæ uxoris junioris Faustinæ.

Imperatorii hi nummi argentei parvo constant, si Pertinacis, Did. Juliani, Pescennii Nigri & Gordianorum Africanorum excipias, reliqui enim faciles sunt acquisitu, quibus nonnisi aversa facies, multo usu cognoscenda, pretium facit. Etenim integritas sculpturáque nummi, historiæ sublimitas & exiguum illud tempus quo Principes illi regnârunt, pretium ejus adaugent; quamvis Curiosi & Litterati nummos non ex sola raritate, sed vetustæ historiæ documentis præcipuè æstiment.

CAPUT XII.

De Numiſmatibus Hebraïcis, Punicis, Hiſpanicis & Gothicis.

Dubio procul Ægyptii ingenioſæ artis inventa etiam monetis & Numiſmatis ſuis expreſsêre, quibus ſperare poterant nominis ſui gloriam, cujus tantopere fuerunt avidi, immortalitati conſecratum iri. Hebræi artes quaſcunque ſive à ſe profectas, ſive ab Ægyptiis acceptas, multo ſtudio excoluêre; quin imò antiquiſſimos nummos ab hac gente recepiſſe nos veriſimile eſt.

Talentis utebantur, quæ ſuâ linguâ *Chicar* appellabant, quorum unumquodque centum & viginti minas Atticas valebat, *Ezechiel c.* 45. 10. Habebant inſuper minas ſuas Hebraïcas, *Joſeph. l.* 14. *c.* 12. eaſque duplicis generis, quarum minor conſtabat centum viginti drachmis atticis, ſive totidem libris Romanis; Major duplo pluris. Neque verò

talentum & mina certarum monetarum erant nomina, sed certas summas, pluribus nummis pendi solitas, designabant.

Siclus eorum argenteus valebat obolis Judaïcis 20 aut bechiis duobus; (*Henischius de asse*) bechius duabus suzis; suza vel drachma vel darkemon, quinque geris; & gera, sex quasi solidis gallicis, *sols* dictis. Erat iis & siclus aureus, cujus sacræ litteræ mentionem faciunt. *Job* 42. 11.

Siclus argenteus idem est cum denario Judæorum, quorum triginta adæ-

qua-

quabant præmium proditionis Judæ exhibitum, pro Servatore nostro J. C. *Math.* 27. 3. Referebat autem alterâ sui parte virgam Aaronis, hâc epigraphe: IEROUSCHALAIM HAKKEDOUSCHA *Hierosolyma sancta*; altera verò calicem colligendæ mannæ, & in circuitu SCHECHEL ICHRAEL *Pondus Israelis*, seu *moneta*.

Plurima ejus exemplaria circumferri norunt qui has res tractant, quorum porrò nullum unquam antiquum videre mihi contigit. Suaviter quidem audio unum antiquum asservari pretiosè, apud PP. Hierosolymitanos in Escuriali, quod ab Imp. Carolo V. unâ cum incomparabili illa bibliotheca, nuper conflagrata, dono acceperant.

Punica Numismata dicitur primùm percussisse Dido Regina Carthaginensis: Etsi illius temporibus nulla exstent, exstant tamen illa quæ frequenti mercatorum commercio erant in usu, è quibus unum hic apponendum selegimus, rarum & notatu maximè dignum, quod alibi explicatum de-

dimus, *in nummis ex ære mediocri, pag.* 15.

Ad Punicarum sive Carthaginensium imitationem exarârunt sua Hispani, tum temporis Carthaginis imperium passi. Sunt autem iis characteres peculiares nemini hodie satis perspecti. Tentârunt vadum & exercuerunt ingenium nonnulli, inter eos imprimis eruditissimus Archiepiscopus Tarraconensis Antonius Augustinus: sed vix videtur operæ pretium reddere, quem proin Hispanis relinquimus, bene collocatæ fructus ab ipsis expetentes, dum interim ad Numismata Gothica pergimus.

Nomen hoc satis tritum rei antiquariæ studiosis, quo omne antiquum, rude

ac

ac impolitum designant. Numismata hæc Gothica infeliria sua auspicia arcessunt ab inclinato Imperio Romano. Gothi enim rerum facti Domini, Romanos Imp. æmulaturi suis typis & characteribus monetas procudebant, sed barbarie & crassâ ubique regnante ignorantiâ tantâ, ut vix quidquam contineant quod gratum esse possit. Artifices enim abjecto operandi animo, arma quibus se defenderent capessebant, sicque scientiæ artesque illustriores, non minùs ac homines & regiones diram patiebantur depopulationem, ut ex iis nummis levia quædam & rudia monumenta nobis manserint residua, qualia sunt Regum quorundam, Atalarici, Theodahati, Witigis, Totilæ, Atilæ, quos veluti tyrannos, juxta Imperatores Rom. sui temporis, serie chronologica, collocamus. Rebus postea tristi pace compositis, omne cudendorum Numismatum artificium & conservandorum studium sensim periit; Barbaris rudi & leviter signatâ massâ, in usus vulgares,

contentis, cujus characteres & typos qui explicet, pluſquam ſit Oedipus. Nec metalli majorem habebant curam, cùm argenteæ monetæ plus interdum contineant ferri aut æris quàm argenti, aureæque exſtent admodum diſſimiles, ne quidem interdum argento & æri, quartâ auri parte admixta, à qua tamen aureæ denominantur. Ex his facilè conjicere eſt, quantùm detrimenti patiatur iſtorum temporum Hiſtoria, paucis exſtantibus comptioribus Numiſmatibus, quæ certè ei contexendæ aut illuſtrandæ non ſufficiunt. Secus prima monarchiarum auſpicia quæ ex ruinis Imperii Rom. ſurrexerunt pleniùs & planiùs comperta haberemus, ſi quæ cura monetarum & Numiſmatum illis temporibus fuiſſet.

CAPUT XIII.

De Numiſmatibus recentioribus.

Nunquam ſanè excelſius faſtigium aſſecuta eſt induſtria humana quàm

quàm Augusti tempore, qui gloriæ suæ partem haut postremam in scientiis & artibus, sive inveniendis sive adaugendis, reposuit. Sed pauci temporis hæc fuit felicitas, Gothis potiorem Europæ partem devastantibus, & ipsam Urbem urbium dominam, ad usque internecionem, delentibus. Sæculum tamen illuxit felicius, vestigia quædam veteris artificii repetens, ex quo Carolus Magnus tot præliis victor, tot regionum domitor, tot hostibus quà extraneis, quà domesticis debellatis, Parisina & Ticinorum academiis constitutis, *Pater litterarum* ipse litteratus dictus est, cujus quidem exstant monumenta haut contemnenda.

Bellis extrinsecis & intestinis, quibus Gallia vexabatur, ardor quo in artes & scientias ferebatur, nonnihil consedit, ad usque Franciscum I. bonarum litterarum restauratorem, qui magnifico actus spiritu, omnium ferè artium, linguarum, scientiarum Professores constituit Regios: quo ipso, omnes ferè Viros insigniter

signiter eruditos ex universa Europa pellexit, multis honorum & præmiorum ornamentis adfectos, æternam interim nominis sui famam adsecutus. Quem si fata, generosis conatibus, constituendæ inprimis Professioni historiæ veteris superstitem permisissent, meliùs & glorioſiùs de re nostra Nummaria ageretur, & plures certè ejus cognoscendæ studio ac admiratione ducerentur, pauciores contrà darentur imperiti ejus contemptores. Gentes interim aliæ hanc gloriæ partem satis studiosè sibi vendicarunt, constitutis in plerisque Germaniæ Academiis, cumprimis autem Lugduni Batavorum, Professoribus historiarum, qui suo exemplo Christianissimo optimoque Regi LUDOVICO fortè occasionem dabunt vota Antecessoris sui Francisci I. adimplendi: atque uti, Regis ad exemplum totus componitur orbis, ita Galli tum demùm artibus & scientiis totos se dedêre, ubi exemplo Regum suorum suêre accensi, ac ab iisdem operas suas haut parùm probatas, animad-

verterent : sic laudata crescebat virtus & immensum gloria calcar habebat. Ita enim pictoria, sculptoria, plastica, aliæque politiores artes majus sibi acquisivêre, Francisco I. regnante, decus, quàm sæcula priora, à prima regni Galliarum fundatione, conciliare valuerunt. Inde tot procusa Numismata, exteris gentibus imitationi inservientia, cùm priùs rariora exstarent & ætatis notâ carentia, postea tamen ad eam artificii & usus cultum deducta, quem vix superare ingenium humanum ulteriùs valebit. Varini opera exquisitissima, Autori suo perennaturam nominis famam pepererunt, & posteritati exemplum imitationis, quod tamen assequi vix valebit, relinquunt.

Complectimur autem ambitu Numismatum recentium quæcumque ab omnibus populis à dominatione Gothica fuere excusa; inter quæ primas damus Pontificum nummis, quibus à centum quinquaginta annis, volupe fuit rerum à se gestarum memoriam nummis consignare.

signare. In Gallicis nostris expressas conspicimus Regum imagines, à Ludovico XII. *Patre patriæ* dicto, quo suo in subditos affectu etiam venerationem nummis suis conciliavit. Nec minus huc referemus varia Imperatorum Rom. Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, Lusitaniæque Regum; & post hos Electorum Principumque Imperii Rom. Numismata. Quò & pertinere videntur monetæ aliæ nonnullæ, historiæ lucem fœnerantes, quales Italicarum multæ. Exemplo sit antiquissimum ex Numismatibus recentioribus, referens Carolum Magnum laurea corona redimi-

tum, quo Gallis suis felicitatem, ex litteris non minùs quàm armis, promittit

mittit priſtinæ ſuæ gloriæ Gallicum Imperium reſtituturus, quod ſuperiorum ſæculorum barbaries ignorantiaque tenebris ſubmerſerat: dignum certè quod ex tenebris meorum loculorum, in lucem publicam protrahatur Numiſma, quodque etſi plumbeum auro contra charum, æſtimari meretur, Principumque cimeliarchio digniſſimum.

Opus tamen Caroli Magni imperfectum manſiſſet, ni fuiſſent ex ejus ſucceſſoribus, qui quod ipſe feliciter cepit, pari felicitate abſolviſſent. Et quandoque Regnum Gallicum vix ad excelſius gloriæ ſuæ, per orbem terrarum diffuſæ, faſtigium poteſt conſurgere, ad quod incredibilis induſtria & potentia Regis noſtri perduxit, quidni Numiſma Imp. Hadriani cum elogio eidem tributo RESTITUTORIS meritus videri poſſit. Ejus enim operâ, conſiliis atquè copiis, Turcarum tyrannum Europæ inhiantem ORBIS CHRISTIANI bono repulſum, nemo neſcit.

Ex:

LVD·XIIII·D·G·
FR·ET NAV·REX

RESTITVTORI ORBIS CHRISTIANI
1000

Ex tot Autoribus, qui in tradendis nummis recentioribus ſymboliſque explicandis, operam ſuam poſuêre, præcipuus eſt Jo. Jac. Luckius Argentoratenſis qui quos ære expreſſit, idiomate latino illuſtravit, ab initio ad finem uſque milleſimi quingenteſimi. Omiſit tamen plures, quòd fortè eos videre non contigit, & acceſſerunt à ſæculi noſtri decurſu plurima, quorum haud exiguam partem loculis noſtris reconditam tenemus. Opus tum demum omnibus ſuis numeris integrum & abſolutum videbitur, ubi & Nummi à temporibus Caroli Magni ſæculo ſuperiori præmittentur, omiſſa eidem inſerentur, & hujus ſæculi illuſtriora ſubjicientur. Sumptus in tanti operis gloriam faciendi, quos ars typographica & ſculptoria deſiderat, ut hominis privati ſortem ferè excedunt, ita Principis exſpectant & implorant munificentiam; quam ſi nobis propitiam ſperare & experiri liceret, experiretur Orbis litteratus induſtriæ noſtræ indefeſſæ ſpecimen, fortè haut con-

contemnendum : Prodirent certè Numiſmata, quibus imagines Heroum armis litteriſque illuſtrium expreſſas cernere liceret, eorumque ferè omnium qui ab annis paulò minùs ducentis, natalibus, pace belloque clari exſtitêre, quorum interim delineationes, gnaviter à tineis vindicatas, ad meliorem uſum ſervabimus.

CAPUT XIV.

De Calculis & Taliſmanis.

Calculi ſupputatorii, unà cum renaſcentibus, ſub Franciſco I. Rege, bonis litteris, ſuo ſe non ornatù tantùm ſed & eximio quem in ſupputandis rationibus & faciendo calculo (unde ipſis nomen) præſtant uſu, commendare ſeſe ceperunt, & primitus quidem rudes erant nec ſignati, uti ex tabulis pictis antiquis patet. Poſtea, ornatûs gratiâ, ſignabantur, anno tamen non expreſſo, qui demum poſteris temporibus

bus adjici cœpit. Quin & Reges, Principes, Magnates imaginibus ſuis illuſtrabant, nec minùs inſignibus, ſymbolis, emblematis, quæ quiſque ſibi in familiæ decus, & actionum ſuarum gloriam tribuebat. Ad horum imitationem, alii quoque minorum gentium Dii, & ſequioris ſortis, liberalitatis ſuæ ſpecimen edituri, calculos vulgârunt, quibus, ſi nil aliud, qualecunque tamen familiæ ſuæ monumentum poſteris reliquêre, quo non exſtante, forte omnis ejus periiſſet memoria.

Eſt autem calculus vilior minúſque ſolemnis Numiſmatum ſpecies, minoris longè pretii, operæ, ſumptuſque. Conficitur ille, dum lamina ex auro, argento, aut ære intra duos typos commiſſa, vel malleo, uti olim, percutitur, vel rotulâ, quæ nunc quidem in uſu eſt, procuditur: Dum interim alia Numiſmata aurea, argentea, ex metallo fuſo & liquato primùm exprimuntur, dehinc, intra matrices poſita repetitis ictibus percutiuntur imò

reper-

repercutiuntur, tandemque elimantur & lævigantur.

Pro cæteris autem in pretio habentur vel qui referunt imagines virorum, meritis aut natalium splendore, illustrium, vel symbolis & emblematis utrâque facie sunt insigniti, institutioni & recreationi nostræ haut parùm inservientes. Quin & Principes aculeos calculis hisce infigebant, quibus alter altero se majorem potentioremque deprædicabat. Ita Philippus IV. Hispaniarum Rex, dominationis suæ amplitudinem & uberes auri ex India proventus ostentaturus, calculo inscripsit: HIC TAGUS ET GANGES: Cui Rex Galliarum Ludovicus XIII. hoc nomine Hispano impar (ejus quippe imperium, mari, montibus Pyrenæis, Alpibus, Rhenoque terminatur) satis tamen argutè & apprimè alio calculo an Christi MDCXXVI procuso, servato symbolo Hispanico, respondit; HIC TAGUS ET GANGES. Oleam interim in medio sculpsit, quam vitis uvis luxurians undiquaque ambit, flaccescen-

tibus

tibus ſpicis ab utroque latere conſpicuis; quo ipſo ſoli Gallici fertilitas, quâ in Hiſpaniam oleum, vinum, frumentum (tria maximè neceſſaria vitæ hujus præſidia) tanquam è liberalitatis ſuæ penu & cornu-copiæ largiſſimè effundit, adumbrans tacitè ſimul Hiſpaniæ ſterili auri fertilitate exprobratâ, quæ rei frumentariæ & commeatus deſideria ex Galliis redimere neceſſe habet, Hiſpanorum Tago ſimul & Gange, in Gallorum granaria cellaſque vinarias & olearias, effuſis.

Collegia quaque & ſocietates in vulgi uſus magnam protrudebant calculorum vim, quales ſunt qui à clero, à regni cancellaria, à ſupplicum libellorum rationumque magiſtris, ab ordinibus provinciarum, ab Academiis, à Secretariis regiis, mercatorúmque ſocietatibus, aliiſque pluribus prodiêre, tandem ob immenſam ſui copiam, neglectim habiti: quamvis ſymbolis ſuis & emblematis illuſtres, quorum ſupra duo millia diverſi typi inſcriptioniſque exſtant.

Saluberrima Facultas Medica Parisiensis, hoc ipso cudendorum calculorum privilegio gaudet, illudque quovis exercet biennio cum à candidatis donativum excipit. Gerunt communiter insignia facultatis medicæ, tres scilicet ciconias, lauri ramulum rostro tenentes, sole de cœlo illas irradiante. Aversa facies, insignibus Decani facultatis pro biennio, conspicua est; Et quia nonnulli loco gentilitii stemmatis, imagines suas expressêre more eò laudabiliori quò antiquiori placuit, quod sub

calcem cæterorum opusculi hujus capitum factitatum, calculum Facultatis medicæ subjungere, Parentis mei heu optimi facie insignitum. Li-

Liceat porrò Calculis noſtris adjungere Taliſmanos, ne quod ad Numiſmatum cognitionem accedit, penitus ignoretur. Quæ Græci Στοιχεῖα, Τελέσματα, Ἀποτελέσματα, vivos lapides λίθους ἐμψύχους, dixêre, Arabes *Teleſmat*, Chaldæi *Thalmanaïa*, Hebræi *Teraphim Hataliſmaoth* & *Scuta Davidis*, Latini atque ipſorum imitatores Itali, Galli, Hiſpani *Taliſmanos* nuncupant, futuris indicandis & prædicendis, maliſque averruncandis & avertendis. *Salmaſius* ad Flavium Vopiſcum cenſet *Taliſman* eſſe Græcam vocem, modico flexu in Arabiſmum detortam. *Taliſman* eſt τέλεσμα, hoc eſt, τετελεσμένον; ut ſunt τετελεσμένοι *anuli*, τελεσμένοι ἀνδριάντες, & cætera hujuſmodi. Ex metallis ſæpiùs, nonnunquam etiam ex gemmis minoriſque pretii lapidibus formabantur.

Religioſiores, & ad eorum exemplum hypocritæ, aliquando ſanctiſſima Dei nomina ipſis inſculpſerunt: EL, *fortem*; ELOHA, *gubernantem*; ELOHIM,

providentem; SABAOTH, *Deum exercituum*; ELION, *excelsum*; SUM QUI SUM; ADONAI, *Dominum*; IAH *Deum*; SADDAI, *omnipotentem*; JEHOVA seu τετραγράμματον, *omnium sanctissimum*. Interdum etiam Angelorum nomina signavêre, at præcipuè MICHAEL, *quis ut Deus*; GABRIEL, *fortitudinem Dei*; RAPHAEL, *medicinam Dei*. Nonnunquam versus aliquot è S. Scripturis, ut hunc Danielis: MILLIA MILLIUM MINISTRABANT EI: ET DECIES CENTENA MILLIA ADSISTEBANT EI. Maximè autem idiomatibus reconditioribus, ac præcipuè hebraïco.

Curiosiores Astrologi ex Talismanorum fabrica, characterum unione, numerorum combinatione, syderumque notis, mira vaticinabantur portendebantque: Præsertim si metallo Planetæ analogo, lociſque aut populis sympathicè vel analogicè convenirent. Quâ ratione crocodili lapidibus insculpti sunt, coërcendæ eorum ferociæ. Crocodili imaginem plumbeam ad crocodilos repellen-

pellendos conflatam, igne solvisse Achmed Ben-Tolon Ægyptius Calipha dicitur, ut ex Arabum monumentis docet Jul. Scaliger, *Exercitat.* 196. & Cardanus, *lib.* 9. *de Subtilitate.* Ita sibi persuadebant ex serpentum figuris, morsus eorum venenatos apprime sanari: *Cùm*, inquit Arabs Haly, *scorpio cœlestis terrenis scorpionibus dominetur, & cœlestis serpens terrenis serpentibus.* Et hæc sunt Veterum ἀγάλματα τὰ ζωνίτα.

Commemoratur à Gregorio Turonensi, *l.* 8. *c.* 33. lamina plumbea, Parisiis è pontis cujusdam fundamentis eruta, serpente, mure & flammâ signata, quibus hoc Talismano præcavebatur; rupta enim hisce malis viam aperuisse credita est.

Aureus Talismanus alter, selibræ pondo, inter politos lapides, à rustico repertus est, Lugduni in Gallîis, hujus sæculi initio. Illius ectypum ad me Parisios olim miserat, nunc ἐν ἁγίοις, R. P. Compain S. I. interpretationem explorans, quam uberiorem reportavit

à celeberrimo ejuſdem Societatis R. P. Athanaſio Kirchero, epiſtolâ Romæ, an. Chr. MDCLXVI. ſcriptâ, caput panno cinctum, characteresque ignotos ad magicum Gymnoſophiſtarum Ægyptiorumque morem referente: Solebant quippe Dæmonum omnis generis nomina cuilibet analogo metallo inſcribere, ſicut argento lunares, auro ſolares, &c. quales fingebant EAPHIEL, THARDIEL, HAGEASTE-IOBOIM, RAPHAEL.

Anſam hinc arripuiſſe Magos autumo, vota interdum ſuſcipientes, interdum naturam provocantes, quorum vanitas portentiſſimis mendaciis plura pollicebatur quàm præſtare poterat, formatio ubicunque magicis, inſolentibus, & ridiculis characteribus, qui ideo nuncupabantur *οἱ τῆ μαγείαν τύποι*. Horum amplum proferunt teſtimonium, innumeræ gemmæ, annuli, lamina, & ipſa Numiſmata: Annulorum hiſtoriam exhauſiſſe videtur Fort. Licetus, libello, *De Annulis antiquis*. Plinius

nius quidem *l.* 37. *c.* 9. Veneris gemmam Lunæ Soliſve nominibus inſcriptam collo appenſam, hirudinis plumis, venenis reſiſtere tradit.

Rhombi magici, & ſtrophali Hecatici ad plures uſus ab Antiquis excogitati ſunt, de quibus Euſebius, *in Præpar. Euang.* 5. *c.* 7. Pindarus, *Pythionic. od.* 4. pluresque alii. Hos triplici Numinis juſſu efformabant, ἐκ Θεοῦ pro *divinitus*; ἐκ τῶν νόμων, pro *juxta leges*; demum ἐξ Ἀφροδίτης, ſeu *Veneris decreto* impulſu. Συμβολικαὶ Δαιμόνων μορφαὶ ab Origene, *adverſus Celſum l.* 4. appellantur. At præcipuè ea Taliſmanorum ſpecies quæ IUNX nominabatur, excitandæ complendæque veneri: Quod nomen motacillæ avi ſive σεισοπυγίῳ nonnulli tribuunt. Unus pro omnibus erit Theocritus *Idyl.* 2. ſagam ſuam fingens ſic rogantem ſuum jungem: *Iunx, Iunx, deduc in ædes meas iſtum juvenem:* Ἰυγξ, Ἰυγξ, ἕλκε τὸ τῶν ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Scripſit Tzetzes, *Chiliad.* 2. *hiſt.* 6.

imaginibus ab Apollonio Thyanæo fabrefactis culices Antiochiâ expulsas & ciconias Byzantio, circa annum Chr. MCLXI. & Talismano ejusmodi, Charonis facie insignito, Antiochiæ valvis appenso, sanatam fuisse illius pestem. Prætermittendum non est Jo. Seldeni J. C. testimonium, *Syntagm.* 1. *de Diis Syris.* Is se habere scribit vetusti authoris anonymi arabicè manuscriptum codicem, in quo plura occurrunt de *Talismath*, in celebrioribus Orientis urbibus olim collocatis. *Atque omnium*, inquit ille, *horum Talismath autor seu artifex fuit Polonus sapiens, quo Apollonius Thyanæus intelligi creditur.*

Celeberrima fuerunt apud Ægyptios, Hori, Isidis, Serapidis aliorumque ἀλλοθεῶν symbola, à quibus fluxit illud ΦΥΛΑΞΕCΘΕ nummulo meo ἀλεξητηρίῳ καὶ φυλακτηρίῳ inscriptum, quem ex antiquo foramine, collo vel brachio appensum, amuletumque creditum mihi constat. Quasi ad rei nummariæ famam dignitatemque defuisset

ars.

ars ipsa magica, quæ præstigia sua exequi non potuerit, absque Numismatibus: quippe quæ elementis, mineralibus, plantis, omnisque generis animalibus & syderibus ipsis persæpe usa est. De quibus audiamus Scaligerum: *Nihil*, inquit, *tam frequens est, quàm hæc ἔκτυπα in gemmis inclusa videre, etiam vetustissima. Ea nemo intelligit nisi qui facienda curavit, & frustra illis interpretandis opera datur. Quot enim verisimilia dici possunt, &c. Veteres hæretici præsertim Valentiniani & Marcosiani multa ejusmodi reliquerant quæ hodie in Antiquariorum locudis asservantur, cùm eorum Deo* ΑΒΡΑΞΑΣ. A quo quidem, ut obiter referam, ortum habuisse videtur amuletum illud hæmitritæo sanando, in quo magorum præcepto scribi debuerat, ut narrat Q. Serenus Sammonicus Gordiani præceptor, ABRACADABRA.

Religiosè quidem atque reverenter admodum, Sacri Officii Romani moderatores vetuerunt ne magici Talismanorum characteres publicarentur aut:

imaginibus ab Apollonio Thyanæo fabrefactis culices Antiochiâ expulsas & ciconias Byzantio, circa annum Chr. MCLXI. & Talismano ejusmodi, Charonis facie insignito, Antiochiæ valvis appenso, sanatam fuisse illius pestem. Prætermittendum non est Jo. Seldeni J. C. testimonium, *Syntagm.* 1. *de Diis Syris.* Is se habere scribit vetusti authoris anonymi arabicè manuscriptum codicem, in quo plura occurrunt de *Talismath*, in celebrioribus Orientis urbibus olim collocatis. *Atque omnium*, inquit ille, *horum Talismath autor seu artifex fuit Polonus sapiens, quo Apollonius Thyanæus intelligi creditur.*

Celeberrima fuerunt apud Ægyptios, Hori, Isidis, Serapidis aliorumque θεῶν-θεῶν symbola, à quibus fluxit illud ΦΥΛΑΞΕCΘΕ nummulo meo ἀλεξητηρίῳ καὶ φυλακτηρίῳ inscriptum, quem ex antiquo foramine, collo vel brachio appensum, amuletumque creditum mihi constat. Quasi ad rei nummariæ famam dignitatemque defuisset

ars.

ars ipsa magica, quæ præstigia sua exequi non potuerit, absque Numismatibus: quippe quæ elementis, mineralibus, plantis, omnisque generis animalibus & syderibus ipsis persæpe usa est. De quibus audiamus Scaligerum: *Nihil*, inquit, *tam frequens est, quàm hæc ἔκτυπα in gemmis inclusa videre, etiam vetustissima. Ea nemo intelligit nisi qui facienda curavit, & frustra illis interpretandis opera datur. Quot enim verisimilia dici possunt, &c. Veteres hæretici præsertim Valentiniani & Marcosiani multa ejusmodi reliquerant quæ hodie in Antiquariorum loculis asservantur, cùm eorum Deo* ABPAΞAΣ. A quo quidem, ut obiter referam, ortum habuisse videtur amuletum illud hæmitritæo sanando, in quo magorum præcepto scribi debuerat, ut narrat Q. Serenus Sammonicus Gordiani præceptor, ABRACADABRA.

Religiosè quidem atque reverenter admodum, Sacri Officii Romani moderatores vetuerunt ne magici Talismanorum characteres publicarentur aut

innoteſcerent. Indicto quidem utar ſilentio, quo præterquam quod impiarum artium, vanarum, fraudulentarumque ſum ignariſſimus, Ibidi meo eripiam, quam lubenter ſuſciperet calumniandi opportunitatem.

CAPUT XV.

De Numiſmatis æreis in genere.

In deſcribendis numiſmatis, quâ aureis quâ argenteis, hactenus verſati, tandem ad æreos delabimur, quibus & ſuum conſtare debet decus & pretium, quibuſque tradendis eò lubentiùs inſiſtimus, quò plus ad hiſtorias veteres illuſtrandas faciunt. Ut ut enim aurea & argentea ſuo ſe pretio commendant, ſulgidoque ſplendore oculos perſtringunt, operæ tamen pretium eſt longè maximum, etiam ab æreis rubiginem abſtergere, & quidquid latet antiquioris & rarioris monumenti, in lucem protrahere. Etenim avaritiâ omnium ferè tem-

temporum in aurum & argentum desæviente, parcitum tamen æreis ob metalli vilitatem, aureis & argenteis, cæco vulgi, in spem lucri intenti, errore colliquatis, ærea magno numero nobis residua facta gratulamur, & uti pretium illa aboluit, ita hujus materiæ vilitas ab interitu vindicavit: quin imò inscriptionum elegantia plus videtur dignitatis iis conciliasse, quàm aliis pretium metalli. Nihil hîc mihi vel impudentiâ excidit, vel præconcepta opinio siniſtri dictat: certa loquor, quæ certiora facient Virorum litteratorum consensus, & quæ jam jam dicenda veniunt.

Sunt itaque Numismata ærea omnium ut antiquissima, ita & veneratione dignissima, eò quòd aurum & argentum non nisi post usitatum diu æs, in usus dicam an abusus, introducta videntur, jam dudum enim & verè Poëta,

Nullum crimen abest, facinusque libidinis ex quo
Paupertas Romana perit.

Romani ære utebantur, ab Urbe condita, quod æstimabant ex solo pondere, nullâ signatâ notâ, cujus testimonium frequens tradit Livius; Ejus sunt hæc verba lib. 4. *Indicibus X millia æris gravis, quæ tunc deliciæ habebantur* &c. Et Plinius *l.* 33. *c.* 3. pariter ac Festus, de pondere libræ olim à Romanis imminuto, *Populus Romanus pressus ære alieno libræ pondus imminuit, & ut asses sextantario pondere ferirentur, instituit, ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum.* Regum Rom. sextus Servius Tullius, ovium boumque effigie primus æs signasse apud eundem Plinium legitur *l.* 18. *c.* 3.

Sunt qui primum æris signati autorem Janum tradunt, geminâ conjecturâ fulti; altera Athenæi, *lib.* 15. *c.* 19. *Janum ferunt primum æreum numisma signasse: itaque complures ex Græciæ, Siciliæ, Italiæque civitatibus in altera numismatis parte faciem bicipitem, in altera vel pontem vel coronam, vel navigium.* Alterâ Macrobii *lib.* 1. idem penè adse-

rentis.

rentis. Alii (*Lactant. lib.* 1.) primum æs signatum à Saturno repetunt, qui mari in Italiam devectus, navim illam æri, memoriæ gratiâ, insculpserit, faciemque illam bicipitem, quam nos Jano adscribimus, esse Jani pariter ac Saturni contendunt. Sed dubiæ hæ sunt conjecturæ: nobis potius cum Ovidio videtur (*lib.* 1. *Fastor.*) æs imagine Jani à posteris signatum in honorem Dei sui benefici;

At bona posteritas puppim signavit in ære
Hospitis adventum testificata sui.

Audi Plutarchum (*in Quæst. Roman.*) *Cur antiquum nomisma ab una parte Jani bifrontis imaginem, ab altera navis aut puppim aut proram insculptam habet? An quæ vulgata est opinio, in honorem hoc fit Saturni, navigio in Italiam advecti. At hoc ei cum multis aliis est commune: nam Janus quoque Evander & Æneas mari in Italiam appulerunt: &c.* Et D. Augustinus ludi cujusdam puerilis men-

tionem facit, in quo sublata in aërem moneta, cùm in terram resiliisset, anticâ vel posticâ sui parte victoriam ritè conjicienti portenderet, quam vel capite vel navigio indicabant. Illum eundem mutatis solis nominibus, ob mutatos typos, usurparunt Galli *croix & pille* vocitantes.

Ausim asseverare, quidquid est cunctis Numismatis aureis & argenteis expressum, id omne in æreis signatum reperiri: Excipi tamen velim eos, qui à bis mille annis periêre, & nonnullos quos mihi habeo, singulare quid exprimentes, Deo bene fortunante, cum tempore divulgandos. Mille contra æreos numerare valeo, qui in aversa facie diversum quid ab argenteis & aureis referunt.

Toto illo tempore, quo Græciæ urbes Romano Imperio paruêre, æreorum nummorum, ingeniosis inventis illustrium, ingens numerus fuit procusus: Rarissimè unus vel alter ex argento, nullus prorsus ex auro cusus. Coloniæ

loniæ conſtitutæ & renovatæ in æreis plerumque ne dicam unicè, ſignantur, ut Geographia antiqua penitus ignoraretur, niſi æreorum numiſmatum pluſquam ſeptem millia indubitatæ fidei indicia ex monumentis exſtarent.

Numiſmata ex modulo maximo omnia, paucis exceptis, ex ære ſunt: Pepercit heic auro & argento vel ipſa Græcorum & Romanorum, aliâs ad luxum & ſuperbiam compoſita, magnificentia. Neque verò exigua moles nummulorum aureorum & argenteorum non erat diverſarum figurarum diſtinctè & omnimodè ſignandarum capax, uti contrà ærei Numiſmatis grandior forma quælibet admittebat argumenta, quæ quidem ingenioſa viſa.

Diverſas de pretio horum Numiſmatum æreorum ſententias conciliare, hoc opus, hic labor foret. Temporum ſeries, ingruentes Reipublicæ, pro temporum injuria neceſſitates, & fortè quorundam magiſtratuum ſive æquitas ſive avaritia, pretium modò augebant, modò

modò minuebant, pretio nummi, per appositum characterem, designato. Et quamvis omnia tam exactè supputari non possint, constat tamen non tam, quam à suo pondere *assem libralem* vocabant, fuisse omnium maximam. (*Budæus de asse.*) In corpore juris, duodecim leguntur æstimationis seu pretii designationes diversæ, quarum quælibet fortasse monetæ peculiarem speciem constituit, globulis seu punctis intertextam signatamque.

As	valebat	XII. uncias.
Deunx		XI. uncias.
Dextans		X. uncias.
Dodrans		IX. uncias.
Bes		VIII. uncias.
Septunx		VII. uncias.
Semis		VI. uncias.
Quincunx		V. uncias.
Triens		IV. uncias.
Quadrans		III. uncias.
Sextans		II. uncias.
Uncia		I. unciam.

Nos

Nos dividimus monetas æreas pro magnitudinis diversitate in eas quæ sunt ex ære minimo, medio & magno. De quibus sigillatim ut & de nummis ex maximo modulo, quos Galli *Medaillons* vocant, rectiùs tamen inter Numismata, quàm monetas referendos.

CAPUT XVI.

De Numismatis Romanis ex ære minimo.

Quamvis magnitudo pulchritudinem & decus rebus conciliare videtur, minutiores tamen hi nummi pro majoribus minimè sunt contemnendi, modò typi elegantiâ iis sint pares, quo ipso & pluris faciendi, si quod in magnis est rarum & pulchrum, in parvis tanquam per compendium, artificio majori, exhibetur. Fatendum, non posse eos per integram seriem temporum deduci, ut medii æris numismatibus adjungere necesse habeamus; altero.

tero nummi genere alterius defectus, mutuâ quasi operâ, supplente.

Pretium quod Magistratus Romani iis constituerunt, non usque adeo ad amussim exigere licet: multa sunt, quæ tenebras offundunt, ut quòd in variis provinciis, mole, pondere, typo, & delineatione varii sunt percussi. Græcia hujus generis plurimos produxit charactere, typoque illustres; unde quod exigui erant, faciliùs in exteras regiones transportare licebat quàm majores, ex ære scilicet mediocri & magno.

Stupenda nobis superest vis eorum, qui à temporibus ultimorum Imperatorum cusi sunt, à Postumo scilicet ad Heraclium. Aureliani, Probi, Constantini M. Helenæ, Crispi, Constantii, Gratiani, aliorumque nonnullorum adeo frequentes ubique occurrunt, ut vix alii plures conspiciantur: Ut in eam opinionem descenderim, factum fuisse, ut, auro argentoque omni, diutinis adversus Gothos aliásque gentes barbaras bellis, exhausto, minutiores

hi

hi nonnulli ærei, facti sint necessarii, argentei verò & aurei adeo rari, ut nunc majoris habeantur, quàm vulgares, qui in ipso Imperii flore etiam longè ornatiores prodiêre.

Diversitatem fabricæ & delineationis numismatum ex ære minimo exhibeo, exemplis duobus infra positis: Quorum superius, idque satis tenue, imaginem Agrippinæ matris Neronis, sertum manu tenentis, refert, in quò distinctè apparet papaveris flos inter duas spicas;

& in

& in aversa, Diana venatrix, cui adjuncta nymphula, sinistrâ caput cervinum, ceu prædam venatoriam, ostentans. Inferius, idque multo spissius, exhibet faciem Zenobiæ, Heroïnæ, Palmyrenorum Reginæ, quam Odenatus viduam reliquit, quæque nomen Augustæ sibi in nummo sumpsit, ex quo plures Provincias Romanorum ac Persarum subegit. Ipsa in militiam concedebat, habitu ad prælium composito, militem oratione gravi pro concione, adlocuta. Gloriari poterat de legionibus suis, ex milite Romano compositis, qui suæ ducebant gloriæ, sub Principe generosa, virtutibus & fortitudine inclytâ, stipendia mereri, ejusque auspiciis aciem subire. Linguam latinam satis callebat, Syriacam tamen Persicam & Ægyptiam feliciùs, quibus posterius majori curâ incubuit, quòd crederet se à Cleopatra Ægypti Regina ortum ducere. Eâ fertur fuisse castitate, quâ nunquam nisi prolis causâ cum conjuge suo congressa fuerit.

Tem-

Tempore belli, quod adversus Aurelianum gessit, Regina Orientis salutari voluit, plurimis ejus provinciis suo imperio adjectis. Pars exercitus ejus, astutiâ & largitionibus Aureliani, corrupta; pars pluribus congressibus, præcipuè autem ad obsidionem Palmyræ, confecta; ipsa ex fuga, quam sibi Dromade accelerare tentabat, retracta, ac in triumphum Romam ducta, quâ pompâ, pluribus gemmis torquibusque aureis fuit ornata aut onerata veriùs, ut vel adesset, qui ponderis parte eam levaret. Vixit deinceps in agro, aliquot milliaribus ab urbe, liberalitate Aureliani Imp. concesso, quem hodie etiamnum *il campo di Zenobia* aut *Concho* vocant: ubi & secundum iniit matrimonium, quod familiæ Zenobianæ ortum dedit, cujus apud scriptores varios fit mentio. Ejus autem numisma inter rarissima reponitur, neque enim præter id quod possideo, aliud videre contigit, nisi Parisiis apud Ill. & Rev. Abbatem Seguinum Sti. Germani Antistitem,

tiſtitem, cujus fama per ora virûm volitans luce mutuatitia mei præconii non indiget, ſuis radiis coruſcans: Illud autem cum cæteris pretioſiſſimam ſupellectilem antiquariam componentibus in manus devenit Regis noſtri Ludovici XIV, quem Deus diu ſoſpitet.

Plurimi Autores ſcripsêre de Numiſmatibus ex ære minimo, nullus tamen opere ſatis integro. Adolphus Occo Medicus Auguſtanus, Germaniæ, ſuo ſæculo, ornamentum, catalogum congeſſit, qui tamen potius nummis enumerandis, quàm enarrandis & explicandis Imperatoribus Romanis inſerviat. Triſtanus Sanctamantius magnam eorũm partem deſcripſit in commentariis ſuis hiſtoricis, pleniùs certè, quàm ullus alius ſcriptor Gallicus. In quo tamen fortè deſiderari poſſit, quòd Numiſmata cuncta quæ novit non explicuit, neque etiam cuncta novit, quæ apud nos exſtant: quibus ſi quis eſſet, qui nitidiorem cultum ſuperadderet, opus exurgeret & argumenti dignitate

& de-

& descriptionis concinnitate, immortalitate dignum. Majus interim ei superaddi posset decus si iterum à nobilissimis heredibus editum, accessione Numismatum variorum, ex ejus M-S. locupletaretur, & ut sunt δευτέραι φρονλίδες σωφοτέραι, ex iisdem emendaretur.

CAPUT XVII.

De Numismatis Romanis ex ære medio.

Hæc sane sunt, quæ potiorem præ aliis curiosæ mentis operam occupent, sive Numina, sive typos, sive inscriptiones, sive colonias ex aversa facie intueri lubeat: cùm potiora visa sint quæ magistratibus offerrentur, quàm minora aut majora. Talia ab Ægyptiis, Syris, Asianis, Græcis, Macedonibus, Hispanis, Gallis, Insularibusque procusa, quæ magno numero possideo, id ipsum ad oculum exhibent. Et nummi quidem minimi non videbantur, expri-

exprimendo ſubditorum in Principes ſuos affectui, ſufficere: maximi verò, mole ſua graves, uſui communi minùs erant idonei, unde tot gentes diverſis locorum intervallis, diversâque vivendi ratione & genio diſcreti, in uſum tamen monetæ hujus mediæ mirificè conſpirârunt. Uno heic nummo conjunctim expreſſa videas quæ in aliis non niſi diſperſa reperies.

Originem edocent religionis Veterum, quam quælibet ferè gens ſibi propriam ſumſerat, quâque Heröas ſuos vel legiſlatores & Imperatores venerabunda colebat, nummo eorum in vulgus emiſſo, ſive imaginem ſive res præclarè geſtas exprimente. Amaſtriani ſignabant Homeri effigiem, cui ortum illa regio dediſſe cenſetur Græci Achillem, Ilienſes Hectorem, Lacedæmonii Lycurgum, Laodicenſes Dracum, Mytilinæi Pittacum & Alcæum, Pompeiopolitani Chryſippum & Aratum, Coienſes Xenophontem medicum. Sed ad Deos nos conferamus: Epheſii quam

ſingu-

singulari cultu prosequebantur Dianam, etiam nummis unicam ferè exprimebant. Cretenses Jovem inter se educatum; Ægyptii Nilum, Serapidem, Canopum, Jovem Hammonem, numina sua gentilitia figurabant. Perinthiorum nummi Bacchum; Athenienſium Minervam; Heraclidum Herculem, & Macedonum Alexandrum referebant; summum honorem suis Numinibus aut Heroïbus superadditurі, si eosdem monetis & nummis suis exprimerent.

Nummi insuper æris medii, vel ob id venerabiles, quòd civitatum & multarum & ampliſſimarum hiſtoriam exhibent, quarum aliàs Conditores, antiquitatem, aliáque præcipuæ notæ ignorare neceſſe haberemus. Aſcalon nobilis Palæſtinæ civitas in ſacris literis ſæpiùs memorata, ſuis nummis Semiramidem reginam venerabatur, grates referens conditæ urbis. Cyziceni Cyzicum, Byzantem Byzantii, Tomitani Tomum, Teïenſes Teïum, Docimum Docimenſes, hiſce monumentis quæ

omnia vidisse contigit immortalitate donarunt. Pari honore Berytus Phœniciæ civitas Cæsarem fundatorem, Augustum item & Agrippam restauratores suos afficiebat: ut alias præteream, ad parem Heroum suorum cultum, eodem argumento, animatas.

Phœnices navigandi artibus primi illustres fuêre, à quibus illas accepere Græci, quas postea cæteris gentibus tradiderunt. (*Herodotus.*) Illorum ope colonias plures in Europam, Africam, Asiam & præcipuè Italiæ loca deduxerunt, quod ex multis Natoliæ, Syriæ, Arabiæ, vicinarumque regionum Numismatibus abundè constat. Et, si fortè bellis diutinis aut sterilitate agrorum exhausta erat, ne ad usque internecionem colonia deficeret, Imperatorum Romanorum curâ, novi subinde deducti, pristinisque juncti coloni fuerunt, qui conservatæ atque restauratæ coloniæ memoriam suis nummis significabant. Licet inde tot ænigmatum & figurarum obscurarum explicationem petere,

petere, quibus numiſmata talia inſignita. Sunt enim quæ nonniſi figmenta poëtica referant, rebus tamen quas exprimere ſatagunt, ſummum decus & gloriam tribuentia. Alia rei veritatem & genuinam hiſtoriam referunt, ſicque & proſunt & delectant. Et ſicuti Numiſmata hæc, ex ære medio, præ cæteris luxuriant & exſplendeſcunt ſuis characteribus, mirum non eſt, ſi politioris illius literaturæ amantes ea, ut ut intellectu difficiliora, ardentiùs depereunt: Virtus in arduis. Δύσκολα τὰ καλά.

Illuſtriſſimus Briennæ Comes Lomenius præcipuâ, ex horum numiſmatum contemplatione, voluptate afficiebatur, ut curiosâ ſuâ indagine & bonarum artium, cumprimis politiorum ſtudio, refertiſſimum congeſſerit cimeliarchium: Cui tamen innocuæ voluptati cum cæteris vitæ deliciis valedixit, & illud in meas manus tradi meique juris eſſe voluit. Et quamvis ejus pretium hominis privati ſortem excederet,

deret, desiderio tamen gemmis istis splendidissimis eruditissimisque potiundi temperare non valui, quin κλῆμα πε χῇ χρῆμα meum facerem. Ex iis Lectori benevolo unum adjiciam, speciminis loco, nummum Juliæ Mæsæ, quæ Imp. Severi conjugi Juliæ Domnæ soror exstitit. Facies aversa intuentem in admirationem rapit. Expressa ibi duodecim signa cœlestia, eâ prorsus figurâ, quâ hodie etiamnum vulgò exhibentur. Amastriani, Asiæ populus, nummum hunc ei offerebant, qui imperium cœli terræque isti Augustæ portendebant, illud potentiâ, hoc sapientiâ suâ obtinendum: *Sapiens dominabitur astris.* Fortè & allusio est ad nomen hujus Principis Augustæ, quod lingua Syro-Phœnicia Solem dicit, qui sicuti lucem adfert sideribus cunctis, ita Julia Mæsa, familiæ Imperatoriæ, cujus illa fuit illustre decus & gloria.

CAPUT XVIII.

De Numiſmatis Romanis ex ære magno.

SI quid de majeſtate Imperii Romani nummis antiquis inſcriptum & ad noſtra tempora deductum eſt, exhibebunt illud dubio procul æris magni Numiſmata, quæ latitudine ſua, quidquid ingenium humanum elegantiæ & ornatus comminiſci valuit, admittunt; artificibus omnes ingenii & induſtriæ ſuæ vires in comptam & exquiſitam ſcalpturam eorundem impen-

dentibus. S. P. Q. R. signum & characterem suum S. C. apposuit, non tantùm, ut de genuino pretio & materiæ præstantia, sed & præcipuè, ut de impressis figuris, nummique autoritate constaret. Et sanè, præterquam quod in his facies Imperatorum ad vivum videatur expressa, multò nobiliùs, quàm in alius magnitudinis & metalli nummis, alia etiam & sublimior in iis, quàm in aliis apparet historiæ ratio.

Exemplo sint vel soli Imp. Hadriani nummi, qui & typi elegantiâ & historiæ sublimitate reliqua antiquitatis nummariæ monumenta longè superant. A singulis quas lustravit provinciis & civitatibus principibus, omni amoris & honoris cultu certatim quasi affectus fuit: Feriebant nummos in ejus honorem, facie aversâ insignibus & symbolis suis signatâ: memini vidisse Ægyptiacum cum ibide, cum sistro & calatho frugibus referto, eundem Serapidi, Isidis, Hammonis, Harpocratis, Canopique faciebus insignem; Alexandrinum,

drinum, Nilo, hippopotamo, crocodilo, ſpiciſque conſpicuum; Mauritanicum, equo; Dacicum, rupibus & aquilâ legionaria: Cappadocicum, ſigno militari; Africanum, ſcorpio; Hiſpanicum, cuniculo; Britannicum, ſcuto & ſariſſa; Germanicum lanceâ; Aſiaticum, ſerpente, clavo & prora: Judaïcum matre & pueris: Siculum, monſtro marino, & Meduſæ capite; Italicum cornucopiæ; & Romanum tandem Palladio illo ſuo maximè illuſtres.

Adventantes Imperatores non tripudio carminum modo, quale eſt illud Martialis,

Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris?
Cæſare venturo, Phoſphore redde diem.

Sed & monetâ in eorum honorem percuſsâ excipiebant, hiſce characteribus ſignatâ; ADVENTUI AUGUSTI, addito regionis nomine: cujus generis

nummos exhibere liceret complures, Galliæ, Hispaniæ, Macedoniæ, Siciliæ, Mœsiæ, Thraciæ, Bythiniæ, Ciliciæ, Judææ, Arabiæ, Asiæ, Africæ, Lybiæ, Mauritaniæ, Alexandriæ, Italæ.

Gallia, Hispania, Italia, Achaia, Macedonia, Thracia, Bithynia, Nicomedia, Phrygia, Arabia, Asia, Mauritania, Africa, Sicilia, aliquotque aliæ Provinciæ eidem Imperatori nummos suos, inscriptione adhibitâ, dedicavêre, quâ Restitutorem suum venerabantur. Exstat unus inter alios, quo glorioſum elogium RESTITUTORIS ORBIS TERRARUM attribuunt, cui non suffecerit Provinciis suis salutem & pacem largiri, nisi quoque universum terrarum orbem omnigenâ felicitate beasset: quod ipsum luculentiùs declarat nummus alter sic inscriptus: TELLUS STABILita, indicio profundæ pacis universo orbi partæ.

Exstant & nummi ejus militares à Syriaco, Dacico, Rhætico, Germanico,

nico, Norico, Britannico, Mœsiaco, Mauritanico, Hispanico, Gallico, Cappadocico milite percussi, præter eum quem cudi curaverunt COHORTES PRÆTORIANÆ, illumque in quo præeuntem Imp. sequitur exercitus quasi ad hostem gradiens cum hac epigraphe DISCIPLINA AUG. ei innuendæ quam instituerat: ut & adoptivus Trajani nummus, & conjugalis cum Sabina, aliique, varias ejus LIBERALITATES declarantes. In primis notatu dignus est ille, quo generosum & magnificum Hadriani factum describitur, abolentis privatorum partim, partim provinciarum universarum æs alienum, nominibus eorum in Foro Romano igni absumptis, quæ quidem ad vicies bis centena millia aureorum excurrebant: In circuitu legitur RELIQUA VETERA H-S NOVIES MILLIES ABOLITA. Alter nummus eundem Imp. in theatro exhibet, quo congiarium in vulgus universum disjicit, hâc epigraphe: LOCUPLETATORI ORBIS TERRARUM. An-

nus quoque celebratorum ludorum circenſium litteris Romanis, quod alibi nuſpiam ibidem eſt exaratus: ANN. DCCCLXXIIII. NATALIS. URBIS. POPULO. CIRCENSES. CONCESSIT. Quæ ſingula & univerſa æreis nummis, ut ut vilioris metalli, pretium ſupra pretioſiſſimos conſtituunt.

Romanorum nummi ex ære magno egregiam ſeriem admittunt, quæ acceſſione aliorum duûm generum integrari & ampliari poterit: Sunt enim quædam Græcorum numiſmata, quæ ſplendidum Romanis decus addent; qualia ſunt in primis Alexandri M. quæ in primis loculis & in frontiſpicio Imperatorum Rom. conſtituentur. Ad hanc claſſem referunt quoque illa, quæ Imperatores Romanos repræſentant; artificio ſingulari, at Romanis inferiori, *Contourniata* vulgò audiunt; cujus nominis derivationem potius ad circulum numiſma comprehendentem, quem *contorno* Itali; *contour*, Galli vocant, quàm ad Crotonæ civitatem revócandam

dam censerem, utpotè quæ nihil cum istis nummis commune habeat: Hos porrò dignos arbitror quorum describendis elegantiis & enodandis ænigmatibus curiosæ mentes suam impendant operam. Nondum enim licuit eorum originem assequi: Qua de re conjecturas meas, si ita Deo placuerit, suo tempore eruditorum examini gratus submittam. Interim ut ut nummi hice *Contourniati* sunt elegantes & rari, eos tamen Romanis cedere necesse est, temporis gratiâ, typo, inscriptione, cœlandi dexteritate, omnique artificii genere.

Illud insuper habent peculiare magni æris Numismata quòd, serie continuâ, exhibent Imperatorum omnium, plerarumque Augustarum, aliorumque Principum & Heroûm effigies. Addam exemplum nummi talis, ejusque, omnium qui exstant, rarissimi. Refert ille Pescennium Nigrum, cujus adeo breve fuit imperium, & locus, ubi degebat, tanto intervallo Româ

dissitus, ut mirum non sit, si inter rarissimos primum locum occupet, ejusdem cimeliarchii Lomeniani, cujus primarium erat ornamentum. Ecce ejus ectypum.

Facies aversa Dianam refert, qualis vulgò depingitur cùm venationi vacat: arcum tenet tensum, quasi telum jamjam emissura. Ad pedes decurrit canis venaticus, in prædam effusus. Inscripta est nummo Cæsarea Germanicia seu Comagenorum, quæ scilicet hunc Imperatorem agnovit, cui ad exitium usque quantam potuit opem tulit maximam.

CAPUT XIX.

De Numismatis æreis ex maximo modulo.

Gloria Numismatum tota remansit illibata in maximo modulo; cùm cætera continuo attritu, ex usu monetæ desiderato, integritatis partem, imo sæpè eam totam amittebant. Qui enim in rebus antiquis versatiores sunt, in eas descendunt partes, nummos ex maximo modulo procusos non venisse in monetarum usum, nec nisi ad delectationem Magnatum & Principum cusos, quales etiamnum eadem occasione nummos symbolicos fieri videmus, quæ Germani *Schaupfenning* vocant, Galli *Pieces de plaisir*. Pretium iis præcipuè faciunt, elegantia, historia, moles, & raritas; de quibus sigillatim nonnulla dicenda veniunt.

Numismatis elegantia, meo quidem judicio, duobus absolvitur, delineatione & integritate. Delineationis decus

est, quò ars propiùs naturam refert & oculos genuinâ expressionis dexteritate fascinat; quod quidem est summi artificii, ad superandas omnes temporum & ætatis injurias. Græci & Romani, ut erant gloriæ avidissimi, ita omni studio, labore, & industria in id incubuêre, ut nominis sui famam immortalitati quovis modo consecrarent, ad quam adipiscendam nihil conducibilius esse censuerunt, quàm ut, artificio summo, historiam suam, vili ignobilique metallo, insculperent; ut si quando monumenta hæc ornatiora in manus caderent hostium, ea vel ob operis præstantiam vel ob materiæ vilitatem integra conservarentur, quæ prorsus abolita fuissent, si auro aut argento consignata fuissent; vi metalli pretio potiùs, quàm signis illatâ. Et sanè Numismata hæc nostra ex maximo modulo, Gallis uno nomine *Medaillons* dicta, palàm produnt artificum suorum peritiam exquisitâ illâ sçalpturâ quæ vitam illis & longævitatem & immortalitatem tribuisse videtur. Ei adjungitur

jungitur circularis figura, quæ quò rotundior, eò perfectior censetur: characterum æqualitas, lineamentorumque proportio, ejusdem elegantiæ partes faciunt; quibus si ærugo, rubra sit vel viridis, accesserit, tantum abest ut vitium ex illa contractum censeatur, ut potius ab omnibus temporis injuriis monumentum tueatur, sicque integritate conspicuum venit, quæ elegantiæ est pars altera.

Historia quæ primarium confert nummis nostris encomium, luculentissimè & perfectissimè hisce maximis Numismatis est insculpta; ut exinde pateat, quousque quantisque viribus Veteres generosi animi conatus produxerint, quantaque sint moliti: ut de præstantia typorum nunc taceam, quibus pretium eorum quàm maximè interdum adauctum est.

Horumce Numismatum moles ex comparatione cum cæteris arguitur, quam pondere, magnitudine, & figurarum exstantia præcipuè concipimus, dupli-

duplicatis, imò triplicatis interdum hiſce qualitatibus. Cujus ſummum & incomparabile mihi videtur iſtud exemplum quod præter alia poſſidet Sereniſſ. Mutinæ &c. Dux Adverſæ facies M. Aurelii ejuſque in imperio collegæ L. Veri; quadrigaque in parte poſtica, numiſma faciunt, quod diſcum patinamque (ut cum Suetonio loquar) potiùs diceres, cùm octo vulgares nummos ex ære magno amplitudine gravitateque ſuperet: ſed de illo, aliàs.

Homines, quod rarum eſt, carum cenſent, & utrumque habent in pretio: Contra quod tritum eſt & vulgare, ut ut elegantius & præſtantius, ſpernunt: quo horumce numiſmatum dignitas cæteris longè poſthabitis, & evadi maxime & majorem in poſterum evaſuram opinor. Si præterea nummus ærugine nobili ſplendeat, nihil in illo deſiderabitur.

Seriem amplam horumce maximi moduli numiſmatum contexere difficillimum foret: neque enim omnium Imperatorum

peratorum exstant, adeoque semper hîc erit quod desideres. Curiosissimi quivis Antiquarii multa sollicitudine & industriâ conquisivêre, qui tamen, si omnes suos labores, impensas, curas in unum conferant, omnes ipsorum antiquitatis thesauri non exhibebunt tot maximi moduli nummos, quot unicum Reginæ Christinæ cimeliarchium depromere potest: Quæ uti nulli pepercit in se dignam antiquitatem nummariam, magnificentiæ regiæ, ita nullam felicius, quàm in Francisci Gottifredi Nobilis Rom. cimeliarchium impendit, quod trecentis diversis hujus generis numismatibus, nullo hactenus exemplo, refertum est. Verùm quis Oedipum præstabit qui tot ænigmata solvet, & inscriptiones interpretabitur? & genio opus est & fortunâ: utrumque suppeditabit, cùm libuerit, incomparabilis illa Regina: *Sint Mæcenates non deerunt, Flacce, Marones.*

Quod restat, coronidem impono pro more, exhibito hujus generis nummo Imp. Commodi, cujus facies aversa sacrificio

M·AVREL·COMMODO CAES·AVG·FIL·GERM·SARM·

ſacrificio antiquo eoque pulcherrimo inclyta eſt: Dolendum tamen temporum injuriam nonnihil ejus exſtantiæ integritatiſque attriviſſe; quod damnum niſi triſti fato ſuiſſet perpeſſus, hiſtoria, typo, mole, elegantia, delineationis præſtantiâ, raritateque nulli eſſet ſecundus.

CAPUT XX.

De Nummis ſuppoſititiis & adulterinis.

Recenſui hactenus, benevole Lector, nummos antiquos genuinos qui curioſos rei nummariæ animos potiſſimum occupant. Methodi ratio ſuadet, ut de fictis & ſuppoſititiis hoc loco, ſed paucis, diſſeram. Etenim luxuries ingenii humani, hujus generis plures effinxit, poſtquam in hiſtoria Veterum facta heroïca æternitate digna legit, nummis antiquis non expreſſa, defectum hunc ſuppletura, famæque Heroum litatura: pro veris ficta, pro veteribus nova, vetuſtatis

vetuſtatis tamen genium imitantia, inſigni interdum artificio, ſubſtituit. Ita repreſentatur illuſtre illud facinus quo hoſtes, fulminis inſtar, celeritate incredibili, percuſſit Julius Cæſar, cujus ipſe gloriam Pontico triumpho inter pompæ ſercula tribus verbis, VENI VIDI VICI, oſtentavit. (*Sueton. in Jul. c.* 37.) Alii ejus nummo inſculpſerunt, MARTI VICTORI. Averſus Auguſti nummus ejus moderationem, diligentiæ junctam, innuit ſymbolo delphini, anchoræ intorti, cum hac epigraphe: FESTINA LENTE. Refert alius ſtrenuum Annibalem Carthaginenſium Imp. equo inſidentem telumque in mœnia Romanorum vibrantem, his verbis; ACCIPITE. Conſpicitur etiam Ariſtotelis nummus, hac epigraphe, ΕΝΤΕΛΕΧΕΙΑ: & alius Alcibiadis cum Cupidine; Priami cum Troja & equo illo Trojano; Artemiſiæ cum mauſoleo; Scipionis Africani cum curru triumphali & ſuperba inſcriptione, CARTHAGO SUBACTA: Quod

poſterius

posterius vocabulum & in L. Æmilii nummo adparet: SUBACTA LIGURIA, ob expugnatos Ligures. Cinnæ etiam nummus fuit confictus, cum templo MARTI ULTORI dicato: Pub. Sempronii cum pyramide & verbulo unico, PIETAS: Marii cum tropæo Cimbrorum & Teutonum armis onusto, circumque: VICTORIA CIMBRICA: Crassi item cum corona & fascibus, DEVICTIS PARTHIS: Ciceronis cum Siciliæ symbolo, TRINACRIA PROSCRIPTO VERRE: M. Agrippæ in modum alterius Neptuni, equos marinos regentis, potentiamque suam in mare universum jactantis, hac epigraphe: ÆQUORIS HIC OMNIPOTENS.

Nummus est valdè illustris Imper. Constantini Palæologi, illustrior factus doctis Josephi Scaligeri ad Marq. Freherum commentariis, quibus ejus suppositionem detegit. In aversa facie hæc leguntur: MIHI ABSIT GLORIARI NISI IN CRUCE DOMINI

MINI NOSTRI JESU CHRISTI 234. & circum caput: CONSTANTIUS IN CHRISTO DEO FIDELIS IMPERATOR ROMANORUM ET SEMPER AUGUSTUS 235.

Hæc insuper est ratio eaque potior quæ nummos supposititios induxit. Cum non licuisset omnes in omnibus cimeliarchiis nummos genuinos inferre, visum est replendis loculis, ad antiquorum artificiosam imitationem fictos supponere. Ærei Othonis, Pertinacis, Pescennii Nigri, rarissimi habentur, nec minus aurei & argentei Pertinacis, Didii Juliani, Pescennii Nigri & Gordiani Africani; Ita ut ad seriei perfectionem suppositiis nummis loculos supplere consultum sit, donec genuinos sors bonaque fortuna offeret.

Triplici autem effinguntur artificio: primum est ex metalli fusione, qualecunque sit; id porro præcipue juxta antiquos nummos aurum est vel argentum vel æs. Molem tunc refert, characteres, figuras, typum, metallumque archetypi

typi genuini: pondus tamen paulo levius, siquidem fusum metallum majus exigit spatium, quàm fixum atque compressum.

Alter modus, quo nummi hi fabre fiunt, percussione peragitur; cùm metallum inter duas matrices ad hunc finem sculptas vi maxima comprimitur: ubi quidem magnitudinis, typi, characterum, figurarum, ponderis & marginis ipsius habetur ratio, qui proin exactiùs antiquos æmulantur, quàm fusi, qui plurimâ accuratâque opera indigent, qua absolvantur. Utrumque tamen fœtum suppositicium prodit conformitas, genuini scilicet cum adulterino; mirum sanè & observatione dignissimum, certum item & exploratum, nunquam unum antiquum nummum alteri ex amussim per omnia respondere, quin aliqua deprehendi possit dissimilitudo: unde quoties unus alteri prorsus convenit, certissimo indicio est, vel utrumque vel alterum saltem esse suppositicium. Quæ verò sit diversitatis in tanta

copia

copia ratio, curiosæ indagini disquirendum relinquitur. Porro ad hanc rem faciunt Ad. Occonis celeberrimi verba ex ejus epistola ad JC. Amerbachium desumpta: *Addam aliud problema*, inquit, *aliquos esse in ea sententia ut putârint Veteres singulis nummis singulos jussisse fabre fieri. Et ut hoc credant adducuntur, quod nonnisi rarissimè duo nummi reperiuntur qui eundem typum repræsentent & per omnia sint æquales, quod ego in multis millibus observavi; neque propterea asseveraverim verum id esse quod aliqui somniant. Utcunque sit, magna fuit Romanorum majestas maximæ expensæ, ut ferè quidquid in mentem venerit, id ratum esse voluerint.*

Magno numero possidemus monetas hasce ad antiquarum imitationem percussas, quas à patria præstantissimi artificis Jo. CAVINI Patavini, *Paduanas* vulgo dicunt: sunt eæ ad stuporem usque scalptæ, & quæ persæpe vel acutissimis imposuerunt: matrices (sic enim nuncupare lubet scalpta illa instrumenta chalybea, in quibus ut in utero cudun-

tur

tur nummi) Parisiis me vidisse memini olim ab harumce rerum ut & librorum intelligentissimo Raphaële Tricheto du Fresne Patavii vili pretio coemptas, quas ab ejus hæredibus comparâssem nisi vetuisset pudor supposititia Numismata provulgare. Ingens autem lapis quadratus, quo suis Nummis percutiendis utebatur Cavinus, ad tanti operis gloriam & monumentum, publicè expositus ac veluti sacratus conspicitur Patavii ad majoris templi fores, *Domo* vulgò dicti.

Non pudebit hîc referre excerpta quædam ex epistolis Basilii Amerbachii J. C. Basilienſis ad Guil. Stuckium Theologum Tigurinum & Jo. Jac. Rügerum Eccleſiasten Schaphusianum, ad rem nostram facientia: *VALERIUS BELLUS Vicentinus qui intra annos* 30 *aut* 40 *obiit* (Hæc autem superiori sæculo scripta sunt, cùm ipse Amerbachius peripneumoniâ obierit 26. April. 1591.) *nummos veterum Græcorum & Romanorum cum reversis suis affabrè & eleganter incidit: unde formæ plurimæ hinc inde di-*

stractæ sunt, quarum ad 50 numero habet quidam Germanus König ni fallor nomine Venetiis habitans (König Germanicè, dicitur Gallice le Roy.) *Ectypos cereos nuper aurifaber Venetiis huc veniens* (Basileam) *ex iis desumptos mihi ostendit. Solonis numisma fecit, ut & Palamedis, Catonis Uticensis, Corn. Scipionis, Platonis, Mariæ cum Josepho & Francisco, Phaëtontis, Pauli inter mares & fœminas prædicantis, Pacis, Alexandri. Dido quidem ab altero artifice scalpta est. Fecit etiam Miltiadem & Ipsicrateam Reginam cum sacrificio.* Acceptum hoc referat Lector, Cl. Sebastiani Feschii J. C. humanitati, harumce Amerbachianarum litterarum ut & elegantissimi numismatum cimeliarchii possessoris, atque horum ut elegantiorum scientiarum peritissimi, quodque supra cætera me delectat, Viri mihi, vel invitâ Fortunâ, strictissimis amicitiæ modis conjunctissimi.

Nec minorem admirationem merentur Galli cujusdam aurificis CARTERON opera, præcipuè in auro: quæ tamen omnia,

omnia, si cum antiquis expendas flocci facio; nec majoris, quàm simiam si cum homine; aut crystallum, si cum adamante comparaveris. Volupe interim est, etiam istorum elegantiora intueri & figmenta recentiora à monumentis antiquis discernere, etsi hoc non datum, nisi oculatioribus.

Tertium fraudis genus est; cùm duorum antiquorum nummorum facies, quibus postica pars abrasa fuerit, simul committuntur; sic enim ex duabus antiquis faciebus, exurget nummus novus: Exemplo sint duo nummi conjugum, scilicet Philippi Imp. & Otaciliæ Severæ: nullus fere frequentior occurrit: Utrique si dematur postica pars, unusque alteri ex arte, imo ex fraude imponatur, rarissimus istorum conjugum exurget nummus, magnitudine, typo, figuris, characteribus, margine, colore & pondere, per omnia servatis, id quod pravo exemplo in usum venisse, nimis mihi notum est.

Has porro impostruras non admittunt,

nisi qui lucrum turpe æquitati & pudori præferunt: Abhorret à talibus ingenuæ & honestæ mentis sensus: Ne tamen in ejusmodi præcipitium pronus fortè ruat antiquitatis tyro, id suaderem, ut virum bonum harumce artium peritum consulat, cùm pecuniam suam hisce permutandam deliciis cogitabit; satius est enim insciticm credulam amico prodere, quàm venerandæ antiquitati, ejusque æstimationi fucum facere.

Neque verò nostris temporibus demùm Numismata fuêre adulterata & ad antiquorum imitationem confecta: Falsarii enim & monetarum corruptores nullis non temporibus cum ipsa moneta exstitêre; inprimis, ubi auri & argenti usus introduci cœpit, eos avaritia in fraudes laborioſas impulit. Plinius (*l.* 33. *c.* 9.) refert Mario Gratidiano statuam à Pop. R. positam, quòd primus inter genuinam & adulterinam monetam differentias docuisset, cùm scilicet fraudes istæ Romanis ingenti damno esse cœpissent. Interim tamen elegantiores nummos

mos adulterinos adservabant, & nescio quo genio dictante, pluris faciebant ipsis legitimis. *Falsi denarii spectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur.*

Animus erat spectatori antiquitatis studioso expressos omnes typis vulgare, qui quidem manus meas subierunt, nummos suppositititios, ut in cimeliarchiorum lustratione promptiùs securiúsque verum à falso distinguerent. Verùm non videbatur æquum, plus honoris iis, quàm antiquis & genuinis tribuere. Exemplar tamen, uti in præcedentibus observatum, ad capitis calcem rejiciam, illam interim operam haud inutilem & ingratam alii tempori & operi reservaturus. Erit iste nummus, quem subjicimus, inter suppositititios maximè illustris, quem tamen argumenti dignitas, linguarum diversitas, delineationis ratio, sæculo illi minimè convenientia, falsitatis omninò convincunt, ut pluribus documentis non sit opus.

SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLABIS
ΔΟΞΑ ΕΝ ΥΨΙCΤΟΙC ΧΩ
ET CONCVLCABIS LEONEM ET DRACONEM
ΗΡΑΚΛΕΙΟC ΕΝ ΧΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙCΤΟC
ILLVMINA VVLTVM TVVM DEVS
INTER TENEBRAS NOSTRAS MISERERE
ΒΑCΙ ΚΑΙ ΑΤΟ ΡΑ ΝΙΚΗΤΗC ΚΑΙ ΝΟΜΟΘΕΤΗC
IN GENTIBVS

CAPUT XXI.

De quibusdam rei nummariæ Scriptorum erroribus.

OMnes omnium errores, quos undique apud Autores deprehendere liceret in catalogum referre velle, opus foret longè amplius, quàm quod capite uno complecti liceret: quosdam duntaxat quos recentior suggerit memoria enarrare animus est, qua meâ Epicrisi modestâ, non tam perstringam & ferula censoria notabo, quæ in Autoribus occurrunt, quàm Lectorem præmonebo, ab iis quæ in errorem inducere possent: illud fortè eadem operâ effecturus, ut qui hoc argumentum post me tractaturi sunt, minùs perfunctoriè id facere audeant, sed aliorum exemplo sapientes, jam non primam, non secundam tertiamve, sed ultimam operi admoveant manum, non detrectantes, uti Orator stylum, Horatii monito, ita ipsi num-

mum sæpius vertere. Interim nec Catonem agam, nec Dictatorem, minus satyrum; aurem tamen vellicabo, & quod res est, dicam.

Wolfgangus Lazius Medicus Austriacus primus exstitit qui historiam Rom. ex Numismatis compilavit: Interim quid dignum tanto feret hic promissor hiatu: spem facit septies centies mille Numismatum, cùm tamen illis temporibus vix septies mille diversi generis in scenam producta sint. Excusationi forte dabitur locus, si dixeris Autorem, *indicando numero*, *characteribus* Arabicis usum; typographum verò ad conciliandam operi magnificentiam duas superpondii iniqui loco adjunxisse ziffras. Quid enim in homine erudito, medico cumprimis probitatis studioso, sanæ mentis superesse potuisset, tam enormi errore, adversus sensum & experientiam, imponere voluisse credulitati lectoris, ut senex se turpiter proderet.

Cuspinianus Medicus Germanus opus summi laboris elegantiæque edidit Impp.

Rom.

Rom. quorum numiſmata multo numero congeſſit.: plurima tamen minùs perſpecta habuiſſe videtur. Exempli loco ſit Heraclii nummus, quem expreſſiùs ſub finem capitis præcedentis exhibuimus; eum antiquum & genuinum deprædicat, *Numiſma pulcherrimum & antiquiſſimum.*

Guillelmus du Choul Gallus ligno eleganter ſculpi curavit multam Numiſmatum copiam, quo ipſe glaciem fregit, & poſteris viam muniit ad perfectionem. Et uti induſtriam ejus ſingularem in inveſtigandis partim, partim delineandis Numiſmatis, ſuis laudibus neutiquam deſtituimus, ita liceat nobis non diſſimulare plurima eum obtrudere conatum, quæ neutiquam ab Antiquis percuſſa ſunt. Cui primum dedit locum Agrippæ numiſma, cum templo in averſa parte, Pantheon dicto: & Herculis cum quadriga & zodiaco, hac inſcriptione: ΑΔΥΝΑΤΑ ΖΗΤΩΝ, ſicque Cantherius in porta offendit. Corrupit inſuper inſcriptiones plurimas, fortè

quòd integras legisse non contigit: sic aversam Hadrianei nummi inscriptionem expressit: KOINON ICIΘYNIAC, quæ certè BEIΘYNIAC debuit legi. Ita mel è floribus legas, cæteris posthabitis.

Jacobus Strada Mantuanus plurima quæ Historicos reique pariter nummariæ studiosos mirificè juvant ex antiquitate eruit: judicio interim discretivo opus est & cribro, quo paleam à tritico separes. Prima erant tempora, quibus studium Numismatum excoli cœpit, cui cætera condonanda videntur: Eoque magis, quòd nullum noverim laboribus, aut impensis, melius de Republica literaria nummariaque meritum: testes mihi sunt fidei indubitatæ quatuor illi pretiosissimi Codices MS è bibliotheca Cæsarea, mihi tum Augustissimi Leopoldi gratia, tum eruditissimi Lambecii eorum custodis Viennæ indulti.

Octavianus Strada Imp. Rodolphi antiquarius scalpi curavit magnum & rariorum Numismatum numerum: si tamen

tamen per me ſtetiſſet, ea lucubrationibus ſuis (erat enim eruditiſſimus) illuſtráſſet: ſicque plurimos inſcriptionum errores emendâſſet, abunde ex archetypis nobis cognitos. Malum ſanè illis temporibus familiare, ſecundùm memorialia exemplariaque ſcribere, non ſecundùm antiquos ſolos nummos: hinc errorum ſeges, & malorum lerna.

Antonius le Pois Medicus Lotharingus Sambucum Polonum ſugillat, quòd Othonem æreum in lucem protraxerit, quem nec ipſe nec Italorum antiquariorum ullus viderit; ſicque Othonem æreum facit chimæram & non-entium numero adſcribit: quamvis nullo reclamante, Othones multos ex ære exſtare conſtat: Ipſe certus ſum, me XXVI. varios hujus generis vidiſſe.

Marquardus Freherus diſſertationem inſtituit, quâ Conſtantini Paleologi nummum antiquum eſſe probare conatus eſt. Verùm Joſ. Scaliger ſuperioris ſæculi decus, ejus ſuppoſitionem non arguit modò ſed convincit, ut actum agere nihil attineat.

Jul. Cæſ. Bulengerus Soc. Jeſu (de Imp. Rom. l. 2. c. 15.) nummum, cujus in averſa facie: FISCI JUDAICI CALUMNIA SUBLATA ad Domitianum refert, quem tamen convenit, Antiquariorum ſuffragiis, ad ejus ſucceſſorem Nervam pertinere, ut nomen & effigies ſatis ſuperque docent. Duos alios Imp. Trajano adſcribit, ad Nervam pertinentes: prior enim habet: VEHICULATIONE ITALIAE REMISSA; alter: PLEBEI URBANAE FRUMENTO CONSTITUTO. Adducit & aliam epigraphen manifeſtè ſuppoſititiam, ab Auguſto inſculptam: REPUBLICA CONSERVATA. Is enim non fuit puriſſimo illo ſæculo ſcribendi genius latinitate, ſermone, boniſque litteris, ad ſummum gloriæ faſtigium evectis.

CAPUT XXII.

De frequentioribus nummorum Romanorum inscriptionibus.

Illustre decus obtinet aversi nummi facies, neque tamen minùs meretur quod circum Impp. Rom. effigies conspicitur. Exhibetur quippe singularis ille cultus, quo Romani suos Principes venerati sunt; quin imo haud rariter chronologiæ inserviunt, regni & vitæ annos exhibentes. Stylus simplex quidem est, cujus tamen sublimitatem novi nostri Rhetores suâ verborum pompâ æquare nequeunt. Is hodie mos obtinuit, ut vix ullum adponatur symbolum, nisi versu adposito aut hemistichio significaretur: usque adeo ut verbum minùs comptum metri causâ sæpe toleretur. Talis fortè videri potest Numismatis epigraphe, nomine Christianiss. Galliarum Regis in memoriam renovati cum Helvetiis an. 1663. fœderis procusi;

NULLA DIES SUB ME NATOQUE HÆC FOEDERA RUMPET: Quid enim *sub me* pro *me filioque Regibus*. Quàm sublimiùs & graviùs & magnificentiùs longè Veteres sua vota significabant, verborum minus quam rerum consonantiæ intenti. Demosthenes & Cicero elocutionis parentes dictionem ubique naturalem, validam tamen nec affectatam exhibent. Sic Numismata nostra antiqua & clarè & simpliciter & magnificè sese exprimunt: Cui probando hæc sufficiant exempla: ADLOCUTIO COHORTIUM, SALUS GENERIS HUMANI, PAX ORBIS TERRARUM, VICTORIA AUGUSTI, DECURSIO, CONCORDIA EXERCITUUM, VIRTUS EXERCITUS, JUDÆA CAPTA, ADSERTORI LIBERTATIS PUBLICÆ, LIBERTAS RESTITUTA, REX PARTHIS DATUS, REGNA ADSIGNATA, AMOR MUTUUS AUGUSTORUM, PAX FUNDATA CUM PERSIS, RESTITUTOR URBIS, PACATOR ORBIS, SECURITAS ORBIS. Neque verò ad orcum ablegabo symbola omnia quæ versum sapiunt: malim

malim tamen imitari morem Veterum, qui paucis multa & significanter, citra verborum adparatum & κατάχρησιν dicere adsueverunt.

Ut redeamus ad inscriptiones nostras, eas imprimis quæ circum effigies leguntur, tenendum, Romanos primitùs duo, deinceps tria sibi vindicasse nomina: Quin imo primùm non fuisse nisi unum uni nomen, tradunt Appianus & Varro, cui postea variis de causis alia adjecta. Pronomen verbi gratiâ est, PUBLIUS: Gentem & Familiam indicans est CORNELIUS: cognomen lineas, seu ramos discernens est SCIPIO: Agnomen epitheti vicem sustinens est AFRICANUS. Quæ quidem universa, vel unum alterumve nummis insculpebant. Sic Augusti filii solo prænomine designantur: CAJUS, LUCIUS: Neronis contrà nummi, nomen pariter & cognomen familiæ in quam erat adoptatus, præ se ferunt; NERO CLAUDIUS. Inter numismata Corneliæ gentis prænomen, nomen & cognomen

legere

legere est: LUCIUS SCIPIO ASIATICUS: neque verò meminerim omnia quatuor nomina in uno nummo signata fuisse.

Nominibus etiam frequenter subjiciebant dignitatem, illustrioresque titulos, quales sunt CÆSARIS, AUGUSTI, PONTIFICIS MAXIMI, IMPERATORIS, TRIBUNICIÆ POTESTATIS, CONSULIS, CENSORIS & PATRIS PATRIÆ. Fuêre qui etiam provinciarum à se expugnatarum nomina inscribebant, quæ nos ad agnomina retulimus, ut fuerunt Scipionis AFRICANI, Veri ARMENIACI, Commodi GERMANICI, Severi PARTHICI & ARABICI & ADIABENICI, Claudii II. GOTHICI, & aliorum: Nonnunquam & cultu religioso excepti sunt cum numinum nomina iis dicata fuere, ut Augustus APOLLO, Diocletianus JOVIUS, Maximianus HERCULEUS.

Julius Cæsar qui dum viveret, hostis libertatis Romanæ censebatur, ab obitu, reli-

religiosè cultus fuit: cædis autores, ut sacrilegi & paricidæ sunt habiti: monetæ jussu Senatûs percussæ eum inter sydera Deosque exhibent. Inde CÆSARIS nomen, tanta in veneratione habitum, successores ejus sibi perpetuò vindicarunt, suisque nominibus præfecerunt. Tiberius illud sibi sumsit, eò quòd hæres ab Augusto dictus esset. Galba, ut ut à familia Cæsarum alienus, tamen à Neronis morte, nomen hoc sibi arrogavit. Hos imitati Imperatores alii, Cæsares se dixêre, quamvis aliâ longè significatione, quàm quâ primitus gentis Juliæ familia indicabatur, voce in titulum dignitatis translatâ, quâ ornabant, quos in imperio successores suos designatos cupiebant, ut plurima Numismata nostra ejus rei fidem faciunt.

Imperatores Romani omnes inclytum AUGUSTI nomen, postquam is Senatui populoque Romano in pretio esse cœpit, assumserunt. Quamvis enim initia imperii ejus non usque adeo auspicata videri possint, cædibus, proscriptionibus

ptionibus & tyrannidis ſpecie referta; exitus tamen glorioſiſſimus, pacificus & feliciſſimus extitit, ut nullus fortè unquam tantum ſui deſiderium reliquerit: Urbem quippe quam lateritiam invenit, marmoream reliquit. (*Sueton.*) Hinc apud Romanos factum eſt, teſte Tacito, *ut CÆSAREM & AUGUSTUM principatus vocabula referret*: hiſt. lib. 2. c. 80. Qui ei in imperio ſucceſſit Tiberius uſurpavit Auguſti nomen, non modò quod teſtamento ei erat tributum, ſed in adulationis ſpeciem & ſpem aucupandæ auræ popularis, (*Tacit. l.* 1. *Annal.*) quaſi alterum plebi Auguſtum polliceretur. Caligula primùm hoc nomen repudiavit, ultimoque ſupplicio adfecit, qui id ei tribuerat, idque ideo, quod junioris Πάθεον adjectum eſſet, & ΝΕΑΝΙΣΚΕ ΑΥΓΟΥΣΤΕ ſalutaretur. *Auguſti* autem vox, quæ ex origine ſua *Sanctum* denotat, dignitatis poſtea & cognominis vices ſubiit. Quotquot ſupremum geſſerunt magiſtratum, AUGUSTI nomine inſignibantur, auto-

ritatis

ritatis potius causâ, quàm quòd à secundo Imp. Rom. defluxissent. In uxores ipsas derivatum est, pro Imperatorum arbitrio.

Pontifex maximus imperium exercebat in sacra & religionem, ut mirum non sit, pro gentis Romanæ superstitione, sacrorum antistites RÉGES atque DIVOS sæpiùs dictos fuisse. Numa Pompilius titulum hunc primus sibi Regi facto adjecit, quem sequuti successores ejus omnes. Regno in Rempublicam converso, eligebantur qui sacris præessent: At cùm ea demùm uni subjecta est, potestatis & religionis tituli & characteres unâ juncti sunt, tunc in se derivavit Julius Cæsar, quidquid in aliis suspiciendum aut timendum erat. A morte Lepidi III. Viri, Augustus ejusque successores pontificatum continuò assumserunt, ut ex Numismatis non infrequenter legere est.

IMPERATORIS nomen in Republica Romana munus bellicum indicabat, (*Livius l.* 43. *&* 52.) Sed ex quo

Jul. Cæsar omni usus est potestate, etiam nomen hoc sibi adscriptum aliò convertit. Observat Dio, Julium & Augustum IMPERATORIS titulum sibi arrogasse, non more Veterum, devictis scilicet hostibus, sed ubi imperio & summa rerum potiti fuerunt: Et uti æmulum suæ dignitatis ferre nequibant, etiam titulos superiorum dignitatum, imprimis splendidum & ampliſſimum IMPERATORIS nomen aliis invidebant, existimantes tantum sibi decedere, quantum aliis accederet.

Primi Imperatorum Romanorum eas exercebant artes politicas, quibus quidquid in dignitate ulla fuit sanctimoniæ & venerationis, id omne sibi tribuerent, cultum hac ratione plebis universæ, suo quasi jure, deposcentes. Inde POTESTAS TRIBUNICIA in Imperatores collata, quam ut monumentis ferè cunctis, ita nummis præcipuè pandebant. Non quod Tribunorum plebis pristinorum munere essent functuri, non etiam quòd nomen Tribuni pleb. ambirent;

quin

quin imo nunquam admiserint, sed quò personam Imperatoris sanctam & inviolabilem redderent, & sacrilegii reos peragere possent, quotquot adversus eam aliquid molirentur. Et quamvis non essent, qui exercitio potestatis hujus Tribunitiæ resisterent, nullâ tamen urgente necessitate solennia dignitatis hujus amplissimæ observabant, re interim verâ dominium in ipsum Senatum, Populum, exercitus, ærarium & provincias obtinentes. Interim hosce tribunitiæ potestatis annos nummis antiquis frequenter expressas legimus, uti TR. P. XXXVIII. trigesies scilicet octies, continuata.

Annorum seriem nonnunquam referebant ad consulatum, cujus nihilominus æstimatissimam augustissimamque dignitatem deprimere studuerunt Impp. Romani; titulum porrò, ut & vires ad se prorsus interim rapientes. Regibus verò Româ exactis, eorumque dominatione abolita, Respublica constituta est, cui quotannis duo Consules præerant,

rant, primùm è Senatu lecti, postremùm diviso inter Senatum Populumque magistratu: de quo sic Livius (*lib.* 7. *dec.* 1.) ad annum Urbis Conditæ CCCLXXVII. *Annus hic erat insignis novi hominis consulatu, insignis novis duobus magistratibus, prætura & curuli ædilitate: Hos sibi patricii quæsivêre honores pro concesso plebi altero consulatu.* Julii Cæsaris imperio, potestas consularis omnimodè depressa est, nec nisi nomine tenùs retenta; aliâ quippe non fulgebat autoritate præter indultam ab Imperatoribus.

Censorium munus adprimè necessarium erat, Româ fere universâ luxu, mollitie, opibus diffluente, quo prudentium virorum autoritate sumptus immoderati præcaverentur, & impotens civium libido refrænaretur. Historia Romana plurima Censorum præclarè facta refert, qui & Senatores vel improbos vel indignos loco movebant, & equestrem ordinem constituebant, Tribus mutabant, usuras moderabantur, poli-

politiamque alio quovis modo restaurabant. Potestas ipsis erat inquirendi in mores, opesque civium, rationesque cujuslibet rei à singulis petendi: Et quod deprehendebant minus honestum aut utile, censoriâ virgulâ notabant. Imperatores ipsi exercuêre hoc munus, quoties vel à Senatu rogati, ut ex historia Augusti apparet, vel tyrannidem exercere sub specie justitiæ constituebant: Domitianum CENSOREM PERPETUUM sæpe declarant.

Hisce ut ut splendidissimis dignitatum titulis meritò aliquot alios anteponerem, quamvis eos sæpe adulatio ambitioquè fœdè corruperit & in abusum traxerit, ut PATRIS PATRIÆ: quasi is cui tribuebatur, non minùs curæ in Rempublicam impenderit ac pater in filios. M. Tul. Cicero meruit illustre hoc elogium, ut Romam ab excidio quod conjuratio Catilinaria ei minitabatur, liberavit; Etenim

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

& dixit

& dixit meritò eum, qui de se ad Quirites dicere potuit: *Tandem aliquando L. Catilinam, furentem audacia, anhelantem scelus, pestem patriæ, nefariè molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex Urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsi egredientem Urbe prosequuti sumus; & quidem victoriâ incruentâ.* Cicero, *Catil.* 2. Adulatio in Jul. Cæsarem, ut ut eversorem libertatis, hunc titulum certatim congessit, quem Augustum, offerente senatu, in lacrymas effusisse scribit Suetonius. Tiberius recusavit, non tam, ita sentiente Tacito, modestiâ ductus, quàm ne tyrannidi à se exercitæ, exprobrari posset siniſtro omine tributum axioma. Sed & Augustæ aliquot eo titulo interdum sunt decoratæ; legitur Julia Severi uxor in nummo MATER AUGG. MATER SENATUS MATER PATRIÆ. Priùs quidem in numismate, Faustina MATER CASTRORUM appellari erat passa.

Desiderare videntur ista, Lector amice,

amice, amplius quàm capitis unius ſpatium: neque verò aliud quærebam, quàm ut ad prolixius veterum Hiſtoricorum ſcrutinium, animum tuum accenderem, quod Livius, Cicero, Tacitus, Suetonius, Plutarchus, Dio, feliciùs longè & uberiùs, quàm commentariorum meorum ſeges perficiunt.

CAPUT XXIII.

De Notis & vocum abruptionibus quæ in Numiſmatibus Romanis occurrunt.

A. Aulus.

A. A. A. F. F. Aere, Argento, Auro, Flando, Feriundo.

ACT. Actiacus, *vel* Actium.

ADIAB. Adiabenicus.

AED. CUR. Ædilis curulis.

AED. PL. Ædilis Plebis.

AEL. Ælius.

ALBIN. Albinus.

AET. Æternitas.

AFR. Africa *vel* Africanus.

ALIM. ITAL. Alimenta Italiæ.
ANT. Antonius *vel* Antoninus.
AQVA. MAR. Aqua Marcia.
ARAB. Arabicus.
ARAB. ADQ. Arabia Adquiſita.
AVG. Auguſtus *vel* Augur.
AVGG. Auguſti duo.
AVGGG. Auguſti tres.
AVR. *vel* AVREL. Aurelius.

BARBAT. Barbatus.
BRIT. Britannicus.
BRVT. Brutus.
BON. EVENT. Bonus Eventus.

CAEL. Cælius.
C. Cajus.
C. A. Cæſarea Auguſta.
C. *vel* CAE. *vel* CAES. Cæſar.
CAESS. Cæſares.
CENS. Cenſor.
CENS. P. Cenſor perpetuus.
CEST. Ceſtius *vel* Ceſtianus.
C. I. V. Colonia Julia Victrix, *vel* Valentia.

CIR.

CIR. CON. Circum condidit, *vel potius* Circenſes conceſſit.

CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A. PARTH. RECVP. Civibus & ſignis militaribus à Parthis recuperatis.

CN. Cneus.

COL. Colonia.

COL. NEM. Colonia Nemauſenſis.

CONS. SVO. Conſervatori ſuo.

CONCORD. Concordia.

CL. V. Clipeus Votivus.

COMM. Commodus.

CLOD. Clodius.

CL. *vel* CLAVD. Claudius.

COS. Conſul.

COSS. Conſules.

CORN. Cornelius.

CVR. X. F. Curavit Denarium faciundum.

CARTH. Carthago.

D. Decimus.

DAC. Dacicus.

D. M. Diis Manibus.

DES. *vel* DESIG. Designatus.
DICT. Dictator.
DOMIT. Domitianus.
D.N. Dominus noster.
DD. NN. Domini nostri.
DID. Didius.
D.P. Dii Penates.

EID. MAR. Idus Martiæ.
EX. S. C. Ex Senatus Consulto.
EQ. ORDIN. Equestris Ordinis.
EX. A. PV. Ex Argento publico. *vel* Autoritate publica.
ETR. Etruscus.

F. Filius, *vel* Filia, *vel* Felix, *vel* Faciundum, *vel* Fecit.
F.F. Flando feriundo.
FEL. Felix.
FELIC. Felicitas.
FL. Flavius.
FORT. RED. Fortunæ reduci.
FOVRI. Fourius *pro* Furius.
FONT. Fontejus.
FRVGIF. Frugiferæ (Cereri.)

GERM.

GERM. Germanicus.
G.P.R. Genio Populi Romani.

HEL. Helvius.
HER. Herennius, *vel* Herennia.

JVN. Junior.
JAN. CLV. Ianum Cluſit. *vel* Clauſit.
IMP. Imperator.
IMPP. Imperatores.
I.S.M.R. Juno, Soſpita, Mater, Regina. *vel* Magna.
ITE. Iterum.
IVL. Julius, *vel* Julia.
IVST. Juſtus.
H-S. Seſtertius.
I.O.M. SACR. Jovi Optimo Maximo Sacrum.
II.VIR. Duumvir.
III.VIR. R.P.C. Triumvir Reipublicæ Conſtituendæ.
IIII.VIR. A.P.F. Quartumvir, *vel* Quatuorviri Auro, *vel* Argento Publico feriundo.

L Lucius.
LAT. Latianus.
LEG. Legatus.
LEG. PROPR. Legatus Propræto-
ris.
LEG. II. Legio ſecunda.
LEP. Lepidus.
LENT. CVR. X. F. Lentulus cura-
vit Denarium faciundum.
LIBERO. P. Libero Patri.
LIC. Licinius.
LVD. SÆC. F. Ludos ſæculares fecit.

MES. Meſſius.
M. Marcus.
M.V. Manius.
MAR. CL. Marcellus Clodius.
M.F. Marci Filius.
M. OTACIL. Marcia Otacilla.
MAG. *vel* MAGN. Magnus.
MAC. Macellum.
MINER. Minerva.
MON. *vel* MONET. Moneta.
MAX. Maximus.
MAR. Martia (aqua.)

MAR.

MAR. VLT. Marti Vltori.

N. C. Nobiliſſimus Cæſar.
N. Nepos, *vel* Noſter.
NN. *vel* NOSTR. Noſtri, *vel* Noſtrorum.
NAT. VRB. Natalis Vrbis.
NEP. RED. Neptuno reduci.

OPEL. Opelius.
ORB. TERR. Orbis Terrarum.
O. Optimo.
OB. C. S. Ob Cives Servatos.

P. Publius. *vel* Pater.
P. P. Pater Patriæ.
P. M. *vel* PONT. MAX. Pontifex Maximus.
P. F. Pius, Felix.
PAPI. Papius *vel* Papirius.
PARTH. Parthicus.
PERT. *vel* PERTIN. Pertinax.
PESC. Peſcennius.
P. R. Populus Romanus.
PR. Prætor.

PROP. Proprætor.
PROC. Proconſul.
PROQ. Proquæſtor.
POMP. Pompejus.
PRINC. JUVENT. Princeps Juventutis.
P. *vel* POT. Poteſtate.
PERP. Perpetuus.
PLAET. Plætorius.
PRÆF. CLAS. ET. OR. MARIT. Præfectus claſſis & oræ Maritimæ.
PRAEF. VRB. Præfectus Urbi.
PRON. Pronepos.
PROV. DEOR. Providentia Deorum.
PRIV. Privernum.
PVPIEN. Pupienus.
PAC. ORB. TERR. Paci orbi Terrarum.

Q. Quintus, *vel* Quæſtor.
Q. C. M. P. I. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.
Q. P. Quæſtor Prætorius.
Q. PR. Quæſtor provincialis.

Q. DE-

Q. DESIG. Quæstor Designatus.

R. P. Respublica.
R. P. C. Reipublicæ Constituendæ.
RECEP. Receptis (signis) *vel* Receptus.
REST. Restituit.
ROM. ET. AUG. Romæ & Augusto.

SARM. Sarmaticus.
SALL. Sallustia.
S. C. Senatus-Consulto.
S. P. Q. R. Senatus Populusque Romanus.
SEPT. Septimius.
SER. Servius, *vel* Sergius.
SEV. Severus.
SEX. Sextus.
SCIP. ASIA. Scipio Asiaticus.
STABIL. Stabilita (terra.)
SIG. RECEP. Signis receptis.
SEC. ORB. Securitas orbis.

T. Titus.
TI. Tiberius.

TER. Terentius, *vel* Tertium.
TEMP. Temporum.
TR. P. *vel* TRIB. POT. Tribunitia poteſtate.
TR. MIL. Tribunus Militum.
TRIVMF. Triumphator.
TREB. Trebonianus.

V. Quintùm.
VII. VIR. EPVL. Septemvir Epulonum
VIB. Vibius.
VIL. PVB. Villa publica.
VIRT. Virtus.
VIC. Victoria.
VESP. Veſpaſianus.
V. C. Vir clariſſimus.
VOT. X. MVLT. XX. Votis Decennalibus, Multiplicatis vicennalibus.

X. Decimum.
XV. VIR. SACR. FAC. Quindecim vir ſacris faciundis.
XIV. Quartum decimum.
XIIX. Octavum decimum.

Poſſet

Posset opus hoc accessione aliarum inscriptionum locupletari, quarum plures in *Familiis* nostris *Romanis* hinc inde occurrunt ex nummis Consularibus à Goltzio commemoratæ. Commentarium deinde nuper emisit DE NOTIS ROMANORUM Ill. Sertorius Ursatus Eques & Professor Patavinus quantumvis avido Lectori omni ex parte satisfacturum. Hæc porro quæ scripsimus ad generalem Numismatum cognitionem comparandam sufficere arbitror.

CAPUT XXIV.

De iis, qui Nummos antiquos scriptis illustrarunt.

Ut in Bibliothecis nihil frequentius ipsis bibliothecarum indicibus & librorum catalogis, utpote qui totidem ferme bibliothecarum loco sunt: ita hîc, ubi veteris rei nummariæ doctrinam explicamus, ejusdem Scriptores recensere non jucundum modo, sed

& utile, quinimo necessarium, fore visum est. Tribuatur hoc studii hujus honori, quod certe non video quo jure quisquam ei negare possit, ingenuarum voluptatum non ullam esse cum ista, vel suavitate, vel utilitate, comparandam, sive materiæ dignitatem spectes, sive rerum gestarum certissimis monumentis consignatam fidem. Et tamen compertum mihi est, intra centum fere & quinquaginta proximos annos, & natum esse hujus elegantiæ studium, & in hanc amplitudinem, quam nunc miramur, excrevisse: priùs verò rem litterariam altero hoc velut oculo caruisse. Postquam enim ducentis ferme abhinc annis politioris litteraturæ splendor è priorum sæculorum barbarie, tanquam ἐκ ζόφου νεφέλης, in clarissimam lucem sensim emergere, & præstantiores hominum animos nova subinde majorique gloria cepit accendere, ad hoc quoq; studium quasi luxuriantes delapsi, levibus primum & supervacaneis operis illud excolere, deinde & diligentius versare,

sare, tandem etiam aliqui tota mente omnique impetu pertractare, & publicis scriptis celebrare satagerunt. Horum jam, quos quidem memoria teneo, catalogum texere mihi animus est, & libere, quid de plerisque sentiam, edicere. Quod si quis sit, qui diversum de uno alterove censendum existimet, huic ego suam sibi placere sententiam facilè patior; modò & à mea dolum & invidiam procul abesse, latamque sine ira & studio, meminerit.

Elegantiæ hujus excolendæ Principes Itali fuerunt: quorum primus SADOLETUS Cardinalis ILLUSTRIUM IMAGINES Leoni X. Pont. Max. inscriptas, suppresso tamen nomine, quamvis suum præmittere non dubitarit *Andreas Fulvius* dicitur edidisse. Impressit hunc librum Romæ *Jacobus Mazocheus*, anno superioris sæculi septimo decimo. Verum ut rudia sunt omnium rerum ac disciplinarum initia, sic in hunc, ne quid de sculpturæ arte dicam, alienæ falsæque imagines non paucæ irrepsere.

Secutus deinde JOHANNES HUTTICHIUS Germanus, Imagines Fulvii describendo, etiam errores studiose consectatus est, in eo libro, cujus hic est titulus: IMPERATORUM ROM. LIBELLUS UNA CUM IMAGINIBUS AD VIVAM EFFIGIEM EXPRESSIS. ARGENTINÆ. MDXXV. Idem libellus deinceps Lugduni bis recusus, nempe A. MDL. & MDLIV. eosdem semper errores retinuit.

Ex his effigies Imperatorum desumpsisse videntur *Munsterus*, *Cuspinianus*, *Abbas Urspergensis*, aliique, qui Cæsarum vitas litteris consignarunt; cum & illæ à nummorum auctoritate non parùm recedant.

WOLFGANGUS LAZIUS suam REMPUBLICAM ROMANAM Viennæ An. MDLI. editam, ut & Commentarios DE REBUS GRÆCIÆ, variis Numismatibus exornavit: quam in rem operæpretium est audire Lud. Nonnium in præfatione, quam Huberti Goltzii Græciæ præmisit: *Quotus enim quisque*, inquit

quit ibi, *Græciæ Numiſmata attigit, imò ſi Wolfgangum Lazium excipias, non vidi hactenus qui aliquod pretium operæ præſtitit.* Nec poſſum quin laudem hîc eruditas epiſtolas M-S. Baſilii Amerbachii, J. C. Baſilienſis, in bibliotheca Viri Cl. & amiciſſimi, Sebaſt. Feſchii, J. C. Baſil. ſervatas, quibus hæc accepta fero: *Wolfgangus Lazius in ſuo permagno libro* REIPUBLICAE ROMANAE *olim edito, cupiebat addi plurimorum nummorum imagines, reverſas pleraſque, ſed vereor ne unquam edant typographi noſtri, apud quos libri ſunt.* Deinde: *Wolf. Lazius ex theſauro Ferdinandi Imp. parabat editionem nummorum græcorum, atque erant jam tabulæ aliquæ paratæ, quarum exempla ex reliquiis Oporini emi.*

Diffundente ſe rei nummariæ ſtudio, atque omnes litterati orbis regiones implente, liber prodiit gallico primùm idiomate ſcriptus, deinde in pleraſque Europæ linguas verſus, hoc titulo: PROMPTUAIRE DES MEDAILLES, A LYON, 1554. in 4. deinde impreſſus ibidem

ibidem Italicè, MDLXXXI. Hîc quem non delectaret Adamum, Evam, Patriarchas, innumerosque alios ligno incisos cernere? Sed cave ad verum expressos existimes, quis enim unquam illorum temporum aut nummos, aut imagines vidit?

JACOBUS DE STRADA Mantuanus, librum edidit, cui titulus est: Epitome Thesauri Antiquitatum, hoc est, Imperatorum Romanorum, Orientalium & Occidentalium, Iconum ex antiquis Numismatibus quam fidelissime delineatarum, Lugduni MDLIII. Cum figuris ligno incisis, absque ullis nummorum aversis faciebus, quarum tamen in scripto nonnunquam mentionem facit. Eodem anno, librum hunc, sed gallicè à Jo. Louveau Aurelianensi redditum, edidit idem Jac. Strada, cum iisdem imaginibus. Opus hoc utile satis sua laude fraudandum non est, fatendum tamen, si cum politissimo hoc

sæculo-

sæculo conferatur, crudum omnino videri, præterquam quod præcipua nummorum facie sit destitutum. Herculeum laborem diligentiamque stupendam Jac. Stradæ arguunt octo ejus libri M-S. rariſſimorum nummorum delineationibus quovis auro contra caris referti, quorum meminit, *in Bibliotheca Cæſarea, tom.* 1. *pag.* 77. Ill. Petrus Lambecius, quoſque mecum aliquot abhinc annis Viennæ degente humaniſſimè communicavit, quorum deſcriptionem aliquam hic exhibuiſſe non pœnitebit. Comparet in frontiſpicio titulus, DE CONSULARIBUS NUMISMATIS. Prima hæc pagina, exquiſitiſſima arte picta, infrà dedicationem hanc adſcriptam habet: REGI FERDINANDO CAESARI DESIGNATO AUGUSTO JACOBUS STRADA DEDICAVIT. CLXII figuras continet iſte tomus, nummos aliquot rariſſimos, qui neque à Fulv. Urſino editi ſunt, neque nobis cum ejus FAMILIAS ROMANAS reſtituerémus, & augeremus, erant cogniti.

To-

Tomus II, complectitur CLIX. figuras, duabus in singulos nummos computatis. Tertius præstantissimam exhibet tituli picturam calamo factam, cum hac inscriptione: Series Imperatorum Romanorum ac Græcorum & Germanorum omnium à C. Julio C. F. C. N. Cæsare usque ad Maximilianum II. Cæs. P. F. Aug. una cum Liberis, Patrimis atque Matrimis, ex A. A. A. Numismatibus quam fidelissime delineatis. Inseruimus etiam juxta tempora Hexarchos & Longobardorum Reges: omnesque cum ipsorum Elogiis breviter descripsimus. Tomus I. continet XII. Cæss. à C. Jul C F. C. N. Cæs. usque ad Nervam Imp. Ex Musæo Jacobi de Strada Mantuani Cæss. Antiquarii, Civis Romani. Estque ille meo judicio pretiosissimus.

Quartus

Quartus TOMUM II. continet. Quintus TOMUM III. Sexto hic est adscriptus titulus: ΚΑΤΑΛΟΓΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ΕΛΛΗΝΩΝ ΚΑΙ ΓΕΡΜΑΝΩΝ ΑΠΑΝΤΩΝ ΑΠΟ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΥ, ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΝΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΜΕΧΡΙ ΜΑΞΙΜΙΛΙΑΝΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, ΜΕΤΑ ΤΕΚΝΩΝ ΩΝ ΠΕΡΙΕΙΣΙΝ ΑΜΦΟΤΕΡΟΙ ΟΙ ΓΟΝΕΙΣ ΟΤΙ ΑΚΡΙΒΕΣΤΑΤΑ ΥΠΟΓΡΑΦΕΝΤΩΝ ΕΚ ΧΡΥΣΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ΑΡΓΥΡΩΝ ΚΑΙ ΚΑΛΧΩΝ ΝΟΜΙΣΜΑΤΩΝ ΠΑΡΕΝΕΙΡΑΜΕΝ ΔΕ ΚΑΤΑ ΧΡΟΝΟΥΣ ΤΟΥΣ ΤΕ ΕΞΑΡΧΟΥΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΑΣ ΠΑΝΤΑΣ ΔΕ ΣΥΝΤΟΜΩΣ ΜΕΤΑ ΤΩΝ ΟΙΚΕΙΩΝ ΕΛΟΓΕΙΩΝ ΚΑΤΕΓΡΑΨΑΜΕΝ.

Ο ΠΡΩΤΟΣ ΤΟΜΟΣ ΠΕΡΙΕΧΕΙ ΤΟΥΣ ΔΩΔΕΚΑ ΚΑΙΣΑΡΑΣ, ΤΟΥΣ ΑΠΟ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ, ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΥ, ΓΑΙΟΥ ΥΙΩΝΟΥ, ΜΕΧΡΙ ΝΕΡΥΟΑ ΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ.

ΕΚ ΜΟΥΣΕΙΟΥ ΙΑΚΟΒΟΥ ΤΟΥ ΣΤΡΑΔΑΙ ΜΑΝΤΟΥΑΝΟΥ ΚΑΙΣΑΡΩΝ ΑΡΧΑΙΟΛΟΓΟΥ, ΠΟΛΙΤΟΥ ΡΩΜΑΙΟΥ. Continet ille CXLVI. icones numismatum, interdum etiam inscriptiones aut elogia Imperatorum, denique finit in Imp. Tetrico. Digni certè omnes qui luce publica donati nummariam bibliothecam

cam augeant: acceptissimos quippe fore orbi litterato nemo est qui dubitet, præsertim si ab aliquo harum rerum perito nonnullis in locis recogniti castigatique forent. Munificentia Cæsarea sola est, quæ tanto beneficio R. P. litterariam sibi devincire potest: itaque illam, cùm tum pace tum bello sit ubique terrarum conspicua, provocare non intermittam, cùm & illam nunquam mihi defuturam ore suo sacro benignissimè pollicitus sit ipse Cæsar, Numen omnibus bonis, omnibus litteratis, at mihi præcipue semper faustissimum,

Cæsare nil ingens mitius orbis habet.

De illis codicibus M-S. quorum partem repetito labore Monachii me volutasse memini, audiatur hujus elegantiæ studiosissimus Occo, in epist. M-S. ad Amerbachium: *Libri magno pretio compacti & inaurati, quos apud Albertum Bavariæ Principem depictos vidi, quique magno constant, depicti sunt in folio regali à Ja-*

à Jacobo Strada, & singulæ picturæ nummorum singulis, ut audio, coronatis constitere: Continent illi Consulum & Imperatorum nummos, cujusque metalli & typi. Ibidem miraberis sanè & nummorum varietatem & sumptuum gravitatem: sed omnino puto multos esse appictos, qui non sunt in rerum natura. Thesaurus est pretiosus & Principe dignus.

ÆNEAS VICUS è primis fuit, qui aversas nummorum partes æri commisit. Multum eruditionis habent ejus lucubrationes, hocque magis lugendus Autoris immaturus obitus: quippe qui post Jul. Cæsaris nummos explicatos instituerat & sequentes Imperatores pari diligentia recensere; sed præventus subitanea morte concidit, dum Duci Ferrariensi nummos quosdam monstraret. Hæc verò sunt hujus viri scripta, quæ ad manus nostras pervenêre.

Numismata XII. Imperatorum, Venetiis MDLIII. in 4.

Omnium Cæsarum rarissimæ Ima-

Imagines ex antiquis Numiſmatis deſumptæ: addita perbrevi cujuſque vitæ deſcriptione ac diligenti eorum quæ reperiri potuerunt Numiſmatum averſæ partis delineatione. Libri primi Editio altera Venetiis, An. MDLIV. in 4.

Diſcorſi di M. Enea Vico Parmigiano ſopra le Medaglie de gli antichi, &c. Venetiis, MDLV. & MDLVIII. in 4.

Ex Libris XXIII. Commentariorum in vetera Impp. Rom. Numiſmata, Æneæ Vici, Venetiis, MDLXII.

Auguſtarum Imagines, Venetiis, MDLVII. in 4.

Le Imagini delle Donne Auguſte intagliate in ſtampa di rame, con le vite & iſpoſitioni, di Enea Vico, ſopra i roverſi

delle Loro Medaglie Antiche, Libro primo in Vinegia, appreſſo Enea Vico Parmigiano & Vicenzo Valgriſio, all'inſegna d'Eraſmo, MDLVII. in 4.

Reliqua Librorum Æneæ Vici Parmenſis ad Imperatorum Hiſtoriam ex antiquis Nummis pertinentium, à Jacobo Franco Chalcographo Veneto. Venetiis MDCI. in 4. Opus poſthumum.

CONSTANTINUS LANDUS Complani Comes, Veterum Numiſmatum Rom. Miſcellaneas Explicationes vulgavit, Venetiis primùm, deinde Lugduni MDLX. in 4. excuſas.

HUBERTUS GOLTZIUS, Belga, ſcalptor inſignis, & numiſmatum antiquorum heluo inſatiabilis, quicquid hujus generis ubique reperitur in unum cogere conatus eſt, peragratis feliciter Germania, Gallia & Italia, harum deliciarum fon-

fontibus inexhaustis. Unde tantam nominis famam quæsivit, ut eruditi totius Europæ Viri ad illum explicanda mitterent, quæ aliis abstrusa censebantur. Ipse Medicus Occo Vir celeberrimus sic scribit ad Amerbachium, Ep. IV. *Goltzius mirus fuit nummis perlegendis artifex, quotidianâ nimirum edoctus experientiâ: & ego illi omnia mea numismata ærea, quæ legere non potui, aliquando transmisi, & is singula additis inscriptionibus remisit.* Idem in alia Epist. ad eundem. *Dominus Laurinus pleraque scripsit, quæ Goltzius edidit, cùm hic pictor duntaxat, latinæ linguæ ignarus, sed nummorum omnium peritissimus interpres, tam Græcorum quàm Latinorum, qui in paupertate, ut audio, obiit, scilicet an. MDLXXXIII.* Ampliſſimam etsi gloriam adeptus majorem certè consecutus fuisset, si non nisi verè antiqua Numismata proferre studuisset, præsertim in superbo illo FASTORUM opere. Adducor enim non levi conjectura, ut credam utrosque (Laurinum scilicet & Goltzium) multa excogitâsse supplen-

ſupplendæ Faſtorum hiſtoriæ, quæ nuſquam viderant. Ea ipſa manu Goltzii delineata vidi, quæ à V. Cl Jo. Jac. Chifletio Regis Hiſpaniarum Archiatro, mihi dono data, ad eundem Pariſiis Bruxellas referri curavi. In ejuſdem ædibus ante XII. annos vidiſſe me inprimis memini, Goltzii longè præſtantiſſimum codicem M-S. Græcarum Civitatum, omnis magnitudinis numiſmatibus refertum. Malè ſit pudori, qui me à tanti theſauri poſſeſſione cohibuit. Omnium certè quos unquam vidi hujus generis pretioſiſſimum cenſeo: cujus opinor mentionem feciſſe Lud. Nonnium doctiſſimum ejus commentatorem in præfatione *Græciæ* his verbis: *Secundus, Epirum, Acarnaniam &c. contineret, ſi tabulæ temporis injurias vel Autolyci alicujus manus potuiſſent effugere.* Sed de his ſatis. Quæ vulgata ſunt Goltzii opera, jam recenſebimus.

Series Imperatorum Romanorum &c. Antverpiæ MDLVII.

Forma grandiuſcula, abſque averſis faciebus; quod ipſum Germanicè impreſſum ibidem eodem anno vidimus cum hoc titulo: Lebendige Bilder garnach aller Keyſern von C. Julio Cæſare bis auff Carolum V. &c.

Faſti &c. Brugis Flandrorum MDLXVI. & iterum Antverpiæ, MDCXVII.

Sicilia & magna Græcia, cum Commentariis Brugis, MDLXXVII: iterum, Antverpiæ, MDCXVIII.

Græciæ univerſæ Numiſmata cum Commentariis Lud. Nonnii; Antverpiæ, MDCXX.

Julius Cæſar &c. Brugis, MDLXIII. & Antverpiæ, MDCXX.

Cæſar Auguſtus &c. Brugis, MDLXVI, & Antverpiæ, MDCXX.

The-

Thesaurus &c.

SEBASTIANUS ERIZZUS nobilis Venetus, numismatum copiam immensam sibi comparaverat, quorum partem rariorem eruditè descripsit. Illa sæpe contrectasse mihi contigit apud Illustrissimum D. Benedictum Capellum Nob. Venetum, à quo, ut fieri decet, diligenter asservantur. Liber hunc præfert titulum: Discorso di M. Sebastiano Erizzo sopra le Medaglie de gli Antichi con la Dichiaratione delle Monete Consulari & delle Medaglie de gli Imperatori Romani &c. in Vinegia, MDLIX. in 8. Iterum ibidem, MDLXVIII. in 4. Iterum ibid. MDLXXI. Editio quarta, quæ ultima, cæteris amplior & correctior est.

FULVIUS URSINUS laudem meruit maximam, etiam Jos. Scaligeri elogio quod è M-S. Codice Bibliothecæ Regiæ, quem vulgo SCALIGERANA vocant, hic apponemus. *FAMILIÆ*

ROMANÆ Fulvii Ursini, inquit, *liber divinus, ex quo multa didici.* Hunc ediderat ROMÆ, MDLXXVI. in fol. quem tertiâ parte auctum, multisque in locis recognitum restituimus, PARISIIS, MDCLXIII. de quo infra. Ex litteris Occonis Medici ad JC. Amerbachium, constat Fulv. Ursinum OMISSA quædam operi huic adjungenda comparavisse, in iisque & Macrianum fuisse. Vereor ne perierint; cùm nihil ejus rei investigare potuerim, frustra etiam evoluto exquisitissimo ejus Codice M-S. Bibliothecæ Vaticanæ, inscriptionibus, statuis, antiquisque signis referto, è quo Boissardum Vesuntinum quàm plurima monumenta Antiquitatum suarum deprompsisse dubium nullum est.

ANTONIUS LE POIX Lotharingiæ Ducis Medicus, ut tunc erant tempora vix adolescentis hujus elegantioris studii, eruditè satis scripsit vernaculè: Discours sur les Medailles Antiques &c. à Paris 1579. in 4.

quibus

quibus adjunxit gemmas aliquot eleganter æri incisas.

GUILLIELMUS DU CHOUL, nobilis Gallus, multa tabulis buxeis eximia arte incidi curavit, & quantum ferebant tempora, diligenter examinavit, eo in libro quem inscripsit: Discours de la Religion des Anciens Romains, de la Castrametation &c. à Lyon, 1556. in 4. item Italicè 1569. in 4. item Lugduni 1581. item Gallicè a VEZEL, 1672. Hispanicè atque Germanicè impressum audivi.

ADOLPHUS Occo Medicus, Confessionis Augustanæ acerrimus defensor, Numismata Imperatorum Rom. à Pompejo Magno ad Heraclium descripsit, insperfis hinc inde Commentariis, illisque doctissimis Hæc primùm ANTVERPIÆ MDLXXIX. prodiere: Iterum Multis millibus aucta, Augustæ Vindelicorum, MDCI. Index à multis nuncupatur hic liber, quem huic nostro studio apprimè neces-

sarium censeo; hæc etiam caussa est, quod distractis omnibus exemplaribus venalis hodiè vix reperiatur. Equidem satis recordor aurem mihi olim vellicatam, ut aliquando temporis aliquid illi restituendo, recognoscendo & augendo tribuere vellem: Verùm cum muneris publici & studiorum ratio, hoc est & Medicinæ professio & praxis, tantum otii mihi non concedat, si quis alius spartam hanc suscipere vellet, manus meas ad auxiliandum sentiret illico promptissimas. Nihil enim est, quod magis in votis habeam, quam remp. litterariam hac ex parte relinquere marmoream, atque omni cultus genere quam ornatissimam.

ANTONIUS AUGUSTINUS Episcopus Ilerdensis, deinde Tarraconensis Archiepiscopus, insignis sui temporis Jurisconsultus; antiquitatis studio prioribus Scriptoribus palmam præripuisse videtur illis DIALOGIS, quos primum in 4. ROMÆ, MDXCII. in publicum dedit, atque iterum ibidem MDC.

Latini

Latini tandem redditi ab Andr. Schotto Soc. Jes. impressi sunt ANTVERPIÆ, MDCXVII. & iterum ibidem, MDCLIII. Iterum Italicè cum hoc titulo: Dialoghi di Dom Antonio Agostini Arcivescovo di Tarracona intorno alle Medaglie, inscrittioni & altre Antichita, tradotti di lingua Spagnola in Italiana, Roma MDCXXV. in fol. Scripsit idem Commentarium De Familiis Romanorum, qui quoniam Fulv. Urs. argumento conveniebat, ejus Familiis junctus est, tam in editione Romana, quàm in Parisina.

JOANNES SAMBUCUS in fine EMBLEMATUM aliquot numismata, eaque ut plurimùm rara, in ligno incidi curavit, quæ Antverpiæ sæpè, absque ulla interpretatione excusa sunt. Quarta editio ea scilicet quæ An. MDLXXXIV. prodiit, emendatior est & auctior.

CLAUDIUS GUICHARD numismatum frequentem facit mentionem in suo

de FUNERIBUS opere, tum & *Abrahamus Ortelius* in ORBIS THEATRO; sed frequentius & majori cum gloria *Cæsar* Cardinalis *Baronius* in ANNALIBUS ECCLESIASTICIS.

GABRIEL SIMEON rerum antiquarum amore captus pro temporis illius ratione multa congessit, eo in libro, cui fecit titulum: Illustrationi de gli Epitafi & Medaglie antiche di M. Gabriel Simeon Fiorentino, in Lyone MDLVIII.

JOANNES LE MENESTRIER Divionensis AUGUSTARUM IMAGINES cum Commentariis publicavit. Sed dolendum hîc non pauca numismata falsa mixta esse veris, & adulterina genuinis.

PAULUS PATAVIUS, Senator Parisiensis amplissimus, numismata vetera atque nova, statuas, lucernas, signa, inque his plurima rarissima edidit. Ejus tamen eruditioni opus non satis respondet, commentariis quippe destitutum.

LÆ-

LÆVINUS TORRENTIUS Episcopus Antverpiensis nummos addidit *Suetonio*, De Vitis XII. Cæsarum. Argumentum, me quidem judice, egregium est, quodque, si ad cæteros rerum gestarum Auctores extenderetur, eos mirum in modum illustraret. Non satis æquum illi fuisse Adolph. Occonem antiquarium celeberrimum D. M. Lutheri dogmatibus pertinaciter addictum, ex atrocibus his verbis, ad Amerbachium scriptis, conjicio: *Torrentius Papicola opulentus ad Cardinalatum aspirat: Est homo vafer, ut audio, & ambitiosus. Commentarii in Suetonium editi, non sunt sui, sed alterius cujusdam Viri docti, qui morte præventus præstare id non potuit, quod ille præstitit, nimirum ut prælo committerentur: Antiquitatum studia parum, opinor, curat, gravioribus intentus.*

HELISEUS ROSLEIN D. Med. multa exposuit numismata, quæ suo tempore in Alsatiæ ruderibus reperta sunt. Pleræque ejus interpretationes adeò ludicræ sunt, ut vel ipsi Heraclito risum

movere posſent. Scripsit ille Germanicè Des Elsas und gegen Lotringen Wasgawischen Gebirgs gelegenheit &c. von alten Monumenten und Gedachtnus zeichen in alten Moneten und Müntzen, Schriften und Characteren der alten Gebäwen und Heusern &c Strasbourg, 1593. in 8.

MARQUARDUS FREHERUS Dissertationem perdoctam edidit, De Numismate Census à Pharisæis in Quæstionem vocato, Heydelbergæ, 1599.

LEVINUS HULSIUS egregiè scripsit, & raritatis Numismatum mentionem fecit. At quàm difficile sit hac in parte omnibus placere perspiciamus ex ejus verbis, cùm ad Trajanum pervenit: *Numismata*, inquit, *hujus Imperatoris reperiuntur, sed ex argento difficiliùs.* Posset tamen excusari, si quæ elapso sæculo rara fuere, frequentiora nunc occurrunt;

runt; præsertim cùm Trajani numismatum ex argento amplius tria millia habuerim, è quibus centum ferè variis typis signata. Ejus libelli hic est titulus: XII. primorum Cæsarum & LXIII. ipsorum Parentum & Uxorum numismata; Spiræ 1599. Iterum typis mandatus est, cum hoc titulo: Imperatorum Romanorum Numismatum Series à C. Julio Cæsare ad Rodolphum II. Francofurti, 1605. in 12.

PHILIPPUS PARUTA Nobilis Siculus Siciliæ numismata publicavit in folio 1612. deploramus mortem ejus immaturam, quæ commentarios nec absolvi nec imprimi permisit. Leonardus Agostinus iterum illa edi curavit, cum levi augmento, Romæ, MDCXLIX.

Syracusanorum numismatum frequentem facit mentionem DON VINCENTINUS MIRABELLA Eques, hoc in libro: Dichiarazioni della Pianta dell' Antiche Siracuse e d'Alcune

ſcelte Medaglie d'eſſe e de Principi che quelle poſſedettero, in Napoli, MDCXIII. in folio. Item & liber iſte L'antica Siracuſa illuſtrata di D. Giacomo Bonanni e Colonna Duca di Montalbano, in Meſſina, MDCXXIV.

OCTAVIUS STRADA Jacobi filius, antiquitatis ſtudio non minus celebris quàm Imperatoribus, quorum cimeliarchiis præerat, gratus, hanc etiam litterarum partem exornavit libro, quem inſcripſit, De Vitis Impp. & Cæſarum Rom. tam Occidentalium quam Orientalium: nec non Uxorum & Liberorum eorum: item Tyrannorum &c. Opus novum ac longe præclariſſimum, olim incredibili labore, ſumptu magno, Peregrinationibus multis, iiſque periculoſis, Octavii de Strada à Rosberg Civis Romani, S. C. M.

S. C. M. Rudolphi ſacratiſſimæ memoriæ, Nobilis Aulici & Antiquarii &c Francofurti MDCXV. in fol.

JACOBUS BIÆUS ſcalptor inſignis Numiſmata Aurea Impp. Rom. à Julio Cæſare ad Heraclium edidit cum eruditis Commentariis *Jo. Hemmelarii* Canonici Antverpienſis; Ea ſcilicet quæ Princeps Chimaicenſis, Carolus Croyus Dux Arſchotanus collegerat. Poſtmodum ſed abſque ulla interpretatione, adjunctis tantùm Ant. Auguſtini Archiep. Tarraconenſis dialogis XII. exiit ille liber, in folio, cum hoc titulo: Numiſmata Impp. Rom. Aurea, Argentea, Ærea, à C. Julio Cæſare uſque ad Valentinianum Aug. operà Jac. Biæi Antverpiani aeri graphice inciſa &c. Antverpiæ, MDCXVII. Prodiit iterum cum brevibus ſed ſatis eruditis Commentariis docti cujuſdam Viri Ant-

verpienſis, ut Typographus innuit in præfatione, qui ſtudio tamen nomen ſuum opprimi voluit. Ibidem MDCLIV Iſtius Principis elogium à celeberrimo J. Lipſio ſcriptum, *in Præfatione Syntagmatis de bibliothecis*, non omittendum duco: *Eximius inter Belgii proceres, qui rerum antiquarum elegantia & ſtudio captus, nummos priſcos & bibliothecas uſui publico inſtrueret & adornaret.*

LUDOVICUS SAVOTIUS Medicus Pariſienſis doctiſſimè ſcripſit de numiſmatibus, cum hoc titulo: Diſcours ſur les Medailles antiques, diviſé en quatre parties, eſquelles il eſt traitté ſi les Medailles antiques eſtoyent monoyes, de leur matiere, de leur poids, de leur prix &c. Par M. Louys Savot, Medecin du Roy &c. à Paris 1627. in 4.

FRANCISCUS ANGELONUS hunc vulgavit librum: La Hiſtoria Auguſta

da

da Giulio Cesare infino à Constantino il Magno illustrata con la Verita delle Medaglie antiche da Francesco Angeloni, in Roma, 1641 in fol.

CASPAR GEVARTIUS hunc librum edidit: Icones Impp. Rom. &c. Stylo & opera Caspari Gevartii J. C. Archigrammatæi Antverpiani & Historiographi Cæsarei, Antverpiæ, MDCXLV. in fol.

JOANNES de LASTANNOSA Hispanus, ut audio, honestissimus, egit Hispanicè de nummis Hispanicis: legisse certe juvit: libro titulum hunc adscripsit: Museo de las Medallas desconoscidas Espannolas, Oscæ, MDCXLV. in 4.

TRISTANUS à Sto AMANTE, Historiam scripsit Imperatorum Romanorum, ex eorum numismatibus depromptam, obscura plurima tantâ declaravit solertiâ, ut eorum manes eruisse videatur,

tur, qui hujus hiſtoriæ argumentum fuerunt. Utinam aut minùs acer, aut verbis expolitior fuiſſet. Quartum volumen paraverat, cui ut provideant hæredes enixè cupio. Toti operi præfixus eſt hic titulus: Commentaires Hiſtoriques contenans l'Hiſtoire generalle de l'Empire Romain en trois Tomes, par Jean Triſtan Eſcuyer Sr. de St. Amant, &c. à Paris, 1657. in folio. Acriter quidem ejus errores reprehendit anonymus quidam, quem audio eſſe Abbatem Boninum, libello Italicè conſcripto hoc titulo, Il Bonino al Triſtano, in 4.

EZECHIEL SPANHEMIUS, recondita antiquitatis eruditione, linguarum peritiâ, elegantiaque ſingulari celebris, cùm Romæ degeret, librum edidit hoc titulo inſignem: Diſſertatio de Præſtantia & uſu Numiſmatum, Romæ, MDCLXIV. in 4.

qui

qui postea auctior & variis Numismatum rarissimorum iconibus illustratus prodiit, AMSTELODAMI MDCLXXI. Plura ab eodem expectare posset Respublica litteraria nisi negotia publica, quorum caussa nomine Serenissimorum Electorum Brandenburgici & Palatini Coloniæ degit, cum ab uberiori Musarum nostrarum cultura dimoverent.

PETRUS SEGUINUS eximiæ pietati, morum integritati, auliciisque disciplinis præclaram adjunxerat historiæ antiquæ cognitionem: Hanc magno ære conquisitis undiquaque Numismatibus comparaverat, quæ vivus etiamnum Cimeliarchio Regio lubens addixit. Antiquariorum Dictator, nullo refragante, audiebat; ego certe in prima felicitatis parte pono, quo l ad intimam ejus familiaritatem, vel invitâ fortunâ, seu potius Ibide meo quondam fuerim admissus. Librum reliquit mole quidem non magnum, sed elegantia & recondita eruditione conspicuum, cui titulum fecit: Selecta Numismata antiqua

ex

ex Musæo Petri Seguini Sti. Germani Antisiodorensis Paris. Decani; ejusdem Observationibus illustrata: Lutetiæ Parisiorum, MDCLXV. in 4.

Jo. BAPTISTA CAPPONUS Medicinæ Professor Bononiensis De Othone Æreo Commentarium scripsit, Bononiæ 166... impressum in 4. Πολυμαθία & argumenti varietate præstantem.

Florentiæ transeunti mihi Ill. Ant. Magliabechius, vir omni laude dignus, libellum muneri dedit, Galeria Cesarea da D Porporino da Faenza Monaco Celestino &c. in Faenza 1672. in 12. qui multa numismata, & multas illorum explicationes comprehendit.

Jo. VAILLANT primùm edidit, Numismata Impp. Rom. præstantiora à Julio Cæsare ad Postumum & Tyrannos per Jo. Vaillant Bellovacensem, Doct Med. & Re-

& Regium Antiquarium: Tom. I. de Romanis Æreis, Parisiis 1674. in 4. Eodem anno alterum Tomum vulgavit De Aureis & Argenteis. Plura ab eo expectantur: is enim est, qui cùm Romæ diu habitaverit, Venetiarum & præcipuarum Italiæ civitatum cimeliarchia Parisinaque, & quod omnium instar est, Regium illud, rarissimorum Numismatum affluens copia diligenter perlustraverit, rariora describere sibi proposuit, nominatis simul eorum possessoribus, itaque doctorum virorum desiderio uberrimè satisfactum iri arbitror, si quorum nummorum indicem tradidit, interpretationem quoque sit aggressurus.

OCTAVIUS FALCONERIUS morte suâ precoci multa eripuit Reipublicæ litterariæ, quam longiori vita procul dubio plurimùm ornasset, Argumento sit ejus, qui supersit, libellus elegantissimus, cum hoc titulo: Octavii Falconerii de Nummo Apamensi Deucalionæi

næi Diluvii typum exibente, Dissertatio, Romæ, 166.. in 8.

ULRICUS OBRECHTUS Historiarum Professor in Academia Argentoratensi, libellum conscripsit De Nummo Domitiani Isiaco, Argentorati impressum, MDCLXXV. in 4. elegantem ac eruditum.

JO. PETRUS BELLARIUS, è primoribus Romanis literatis, nuper elegantem libellum ad me transmisit hoc insignitum titulo: Selecti Nummi Antoniniani, quorum primus anni novi Auspicia, alter Commodum & Annum Verum Cæsares exhibet, Romæ MDCLXXVI. in 8.

JAC. OYSELIUS J. C. Thesaurum Numismatum Antiquorum Commentariis illustravit, eruditis dignisque qui omnium manibus terantur. Impressus est Amstelodami, 1677. in 4.

Tandem & ad nostra accedamus, quoſque nos libros ad rem nummariam perti-

pertinentes edidimus, in hunc quoque censum referamus, factâ cuilibet ampliſſima de iis judicandi poteſtate. Sunt autem iſta. Familiæ Romanæ in antiquis Numiſmatibus ab urbe condita ad tempora Divi Auguſti: ex Bibliotheca Fulvii Urſini, cum adjunctis Antonii Auguſtini Epiſc. Ilerdenſis: Carolus Patin, D M. P. reſtituit, recognovit, auxit. Pariſiis MDCLXIII. in folio.

Introduction à l'Hiſtoire des Medailles, à Paris 1665. in 12. Libellus iſte paulo auctior & correctior Amſtelodami typis mandatus eſt, 1667. iterum Italicè, Venetiis, 1673.

Imperatorum Romanorum Numiſmata, ex Ære mediæ & minimæ formæ &c. Argentinæ, MDCLXXI. in folio.

Theſaurus Numiſmatum &c. Amſtelodami, MDCLXXII. in 4.

C. Sue-

C. Suetonii Tranquilli Opera quæ exstant: Carolus Patinus, D. M. P. Notis & Numismatibus illustravit. Basileæ, MDCLXXV. in 4.

Quibus adjungi possent opuscula quædam ad idem argumentum spectantia, ut Epistola De Numismate Augusti & Platonis ad Com. Val. Zanium, 1675. Item altera, De Numismate antiquo Horatii Coclitis &c. ad Abbatem Jo. Braccesium, 1678. Aliaque nonnulla, quæ, Deo volente, ac concedente δ' τυχία, officiique mei medici ratione permittente, auctiora suo tempore prodibunt.

CAPUT XXV.

De Cimeliarchiis Nummariis.

Cimelii nomine, rem intelligimus seu novam seu pretiosam in loculis ad animi delicias servatam. Mirè autem competit illud antiquis numismatibus, raritate, pretio & eruditionis exercitatione cætera superantibus. Cimeliarchiæ nomine sive collectionem Numismatum, sive locum in quo illa servantur, sive utrumque intellexeris, à sensu meo non recedes: His enim significationibus utentes Galli, *Cabinet* illud appellant, Itali *studio*: Germani, si voce patria uti velint, συνεκδοχικῶς locum condendis Numismatibus dicatum, *Kunst-kamer*, nominant; quamvis proprie nomen hoc quodvis conclave rebus rarioribus & pretiosioribus, arte inprimis & manu elaboratis, destinatum designet.

Mihi hic de illis tantùm cimeliarchiis verba facere animus est, quæ nummaria dici

dici possent, omissis iis quæ res alias pretiosas complectuntur, ab instituto nostro nimium remotis. Eorum quæ ex amicorum litteris & præcipuè ἀυτοψία innotuerunt, indicem scribere aggredior, meo quidem judicio, non inutilem futurum, tum in scripta hæc nostra incidentibus, tùm possessoribus, præsertim verò illorum custodibus, quos non malè, ut arbitror, Cimeliarchas nuncupabo: opes quibus præsunt, resque cæteras, à Principibus illustrioribusque Viris sollicitè servatas, hoc nomine comprehendi sic agnoscent, ut earum desinant esse vel ignari vel negligentes custodes. Arduum, fateor, propositum mihi est opus; etsi enim tempori, impensis, atque laboribus minimè pepercerim, multa tamen diligentiam meam effugêre, quæ Lectoris benignitati atque experientiæ cujusvis reparanda relinquo.

Inter Germaniæ Principes, quantum inter ignes Luna minores, eminet ipse Lunæ Ottomanicæ terror, Imperii caput,

put, ſacratiſſimus Imperator LEOPOLDUS, bono publico privatoque natus, cui nihil deeſſe videtur, præter otium. Is avorum ſuorum, etſi miram erga politiores diſciplinas indolem, mille paraſangis ſuperavit, cùm præter artes imperatorias, quibus feliciſſimè utitur, linguarum cognitionem reconditioribus ſtudiis locupletavit. Summum vitæ meæ honorem fecit familiare primum illud quatuor horarum colloquium, ad quod me admittere non dedignatus eſt benigniſſimus ille Princeps: Acri quippe judicio, & profunda eruditione & Ciceroniano eloquio (Latinè enim imò Romanè loqui voluit) inſigniter percuſſit me tanta non expectantem; Majorum ſuorum ora oculoſque interim intuebatur, aderant enim omnes in nummis aureis, argenteis & æreis expreſſi, quorum aut virtutes collaudaret, aut vitia vituperaret. Mirandam numiſmatum copiam, raritatem, integritatemque, hujus non eſt inſtituti enarrare. Præter *Viennenſe* cimeliarchium,

aliud est *Pragæ*, aliud *Oeniponti*; digna certè quæ Imperatoribus inserviant. Deinde Viennæ nobilissimas aliquot numismatum series sæpe mihi videre licuit apud Illustrissimum *Comitem à Thrautson*, & mihi amicissimum D. *Jonam Schrimpfium*.

Sereniſſimus *Bavariæ Dux Elector* præter ſtatuarum antiquarum ingentem numerum, nummos habet aureos Conſulum & Imperatorum Romanorum, circiter mille & quadringentos. Cave credas omnes antiquos eſſe; ut enim αὐτοψία multos adulterinos eſſe deprehendi, ſic ſolerti indagatione intellexi quemdam Reverendum P. Soc. Jeſu, *Principi Maximiliano*, harumce deliciarum cupidiſſimo, morem gerentem, ex auro fundi plurimos ad argenteorum formam curâſſe: Plurimi tamen genuini ſunt, inter quos nonnulli rariſſimi.

Brandenburgicus Elector Fridericus Guillelmus tum majorum inſiſtens veſtigiis, tum Sereniſſ. familiæ decus indies augens,

gens, bibliothecam ampliſſimam optimis libris nobilem Berolini coëgit, antiquorumque numiſmatum ſeries diverſas, quas etſi locupletiſſimas meæ curæ amplificandas commiſiſſet generoſus ille Princeps, niſi animum à litteris ad arma avertiſſet. Eſt ſcilicet Bellona furens, bonæ Germanorum indoli perniciosa. Quæ tamen naſcenti iſti Cimeliarchio deeſſe videbantur, conſulenti Sereniſſimo Principi libenter aperui, datâ occaſione conſilii curam (ut ipſe ſpem fecit) ſuſcepturo.

Quin & *Dreſdæ* apud Sereniſſ. *Electorem Saxonicum*, etſi aliis deliciis intentum, latent arculæ duæ numiſmatibus aureis antiquis plenæ, à majoribus ſuis collectæ, tanti ab ipſo Principe habitæ, ut clavem iis aperiendis ſibi retineat, neque, ut innumera alia ejus cimelia, cuſtodis fidei committat. Eorum inſpiciendorum copiam mihi fieri prohibuerunt frequentes, quibus præcipuè vacat Sereniſſ. Princeps, cervorum aprorumque venationes; quamvis

spem fecerint, qui apud ipsum maxima pollent autoritate, DD. *Barones à Frisen.*

Palatinus Elector CAROLUS LUDOVICUS, omnes virtutes ac disciplinas animo complexus, avitam auxit Numismatum congeriem; cujus ampliorem curam gereret si per bella liceret: Princeps enim est Reipublicæ litterariæ bono ita natus, ut nihil Musis nostris ab eo non sperandum esset, si per publicam Germaniæ calamitatem liceret.

Wintembergiæ Duces duo ampliſſima coegerunt Numismatum cimeliarchia: *Eberardus* quidem nuper fato functus, *Stutgardiæ*, & *Fridericus Neostadii*. Utraque ferè ausim dicere opera manuum mearum, utraque omni metallo & serie locupletissima.

Apud *Duces Brunsvicenses & Luneburgenses*, multos asservari nummos antiquos, persæpè audivi. Periit quidem mihi illos videndi & adaugendi spes, funesto obitu Principis *Gustavi Augusti*, Ducis Ulrici filii: Adhuc mihi vivit, æter-

æternúmque vivet, qui me tam impensè amare dignatus est.

Badenſis Marchio Fridericus Magnus, aurea, argentea, ærea, antiqua recentiaque Numiſmata poſſidet *Durlaci*, quæ Ser. ejus Parens *Fridericus*, me ut plurimum ſuadente, comparaverat. Plura alibi vix reperies.

Neque fruſtra commemorabo *Germaniæ* civitates antiquitatis ſtudio & poſſeſſione conſpicuas. *Argentinum* primám ex Imperialibus urbibus celebrat quo ad delicias noſtras XVviri *Eliæ Brackenhoferi* cimeliarchium, novis atque vetuſtioribus nummis, ut alia taceam, refertiſſimum.

Auguſtam Vindelicorum egregiè nobilitaverant elapſo nuper ſæculo celebratiſſimi Numiſmatum veterum Cultores, *Fuggerus Comes*, & Medicus *Adolphus Occo*, eandemque ei gloriam ſervant, urbis Syndicus *Dav. Thomannus*, *Vernerus*que pictor; ille quidem tum urbanitate tum eruditione nulli ſecundus: hic verò picturâ omnis generis notiſſimus.

Norimberga Jo. Georg. Volkamerum suum patritium, optimumque Medicum veneratur, ut & *D. de Viatis*: *Ulma Schermeyerum*, *Veickmanumque* in magistratu ampliſſimo collocatos: *Jena* suum perdidit *Boſium*, ut virum eruditiſſimum, ſic antiquitatum omnis generis perditum amatorem & poſſeſſorem locupletiſſimum *Hamburgi* plurima eſſe cimeliarchia paſſim audivi, quorum præcipua ſunt *Ludreſianum* & *Fageliannum*. *Bremæ* quidem *Jo. Henr. Eggelingius* J. U. D. eximia quædam poſſidet Numiſmata, quorum aliquot delineationes ad me miſit humaniſſimè, Reip. litterariæ communicandas.

Helvetiæ civitates adjungam Germanicis, id conciliante morum idiomatisque conformitate. *Tigurum*, peramæna civitas, bibliothecam inſtruit celeberrimis aliquando comparandam; cui ab aliquot annis nummos antiquos jungere inſtituit, pulchros ſanè, & qui ab optimæ indolis gente, priſcæ integritatis amantiſſimæ, conſervari & augeri mereantur.

Baſilea,

Basilea, & Academia & civium probitate ac elegantiâ celebris, duo præcipue continet cimeliarchia. Alterum publicum est, ab optimo Magistratu ad communem utilitatem, urbisque decus comparatum, libris antiquis, picturis Holbenianis, & Numismatibus omnis generis, ab *Erasmo* & *Amerbachio* collectis, celeberrimum. Alterum, omnis generis cimeliis instructissimum, privatum quidem est, honestiori tamen nemini præclusum, sic volente ejus domino, *Sebastiano Feschio* Jurisconsulto, mihi, si quis alius, amicissimo & antiquitatis omnis, atque hujus inprimis nostræ intelligentissimo.

Basileæ jungamus *Scaphusium*, alium Helvetiorum pagum, illi morum & sacrorum cultu, sicut viciniâ, conjunctissimum. Illustrat hanc civitatem vir politissimus, qui & summæ ibidem dignationis, *Tobias Hollanderus*, tum eruditionis variæ præstantia, tum impenso in has nostras delicias studio, quarum & exquisitam jam copiam conquisivit.

Plurima certè in hoc genere posse videntur, quorum patria non unius sed plurium arbitrio regitur: præcipuè si fuerint ex ἀφέσεως: sic in Fœderato Belgio non pauci occurrunt opum suarum partem in nummorum veterum collectionem impendentes. *Nicol. Heinsius*, Danielis fil. ut eruditione singulari clavum navis litterariæ tenere videtur, sic eundem Numismatum possessione firmare, quorum Lugduni Batavorum ingentem habet ac eximium numerum. *Amstelodami* noveram *D. de Vitzen* urbis Secretarium, Dos. fratres *Vander Hem*, & *Lucam Occonem*, advocatos omnes, antiquarum rerum, & præcipuè nummorum cultores & possessores locupletissimos. Huic quidem cum Adolpho Occone Medico Augustano cognatio, & Italicum iter in juventute susceptum istas opes maximam partem pepererunt.

Triumphos *Christianissimi Regis LUDOVICI* scribat, cui laureata est penna; Lysippo aut Appelli maneat vel celandi

vel

vel pingendi potestas. Id mihi solum concedi rogo, ut quantum his nostris cimeliis operam dedit, vel debili stylo perstringam. Bibliothecam paravit Alexandrinâ Philadelphi nihil inferiorem, ac verè ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ. Ut illi, ejus temporis omnes aliæ haud difficulter cedebant: sic hanc librorum copiâ atque delectu reliquas omnes facilè credo superaturam. Picturas elegantiores, ac rarissimas mirari facilius est quàm enumerare. Quid jam de antiquis statuis dicam, quæ me, ut oculis sic animo, suspensum & attonitum frequentissimè tenuerunt. Juvat recordari, me quondam, etiam puerum, inspiciendis iis nimis attentum ab aulico prætereunte, convitii causa statuæ fuisse comparatum; sic cùm per juvenilia studia licebat, iis quoque rebus totum me mancipaveram. Quid multis? Sileant sua miracula Memphis Babilonque, & Parisiis quidquid architectura, pictura, scalpturaque valent, veneretur posteritas.

Prætrea Rex Optimus pereunti naturæ æternitatem conciliaturus, volucrum, quadrupedum, piſcium, monſtrorum, etiam omnis generis exactiſſimas picturas ac deſcriptiones fieri curavit. Neque hîc referre alienum puto, ſpem nobis factam eſſe, plantas omnis generis, ex toto orbe Pariſios advectas, & in hortum regium collocatas, brevi in publicum eſſe mittendas. Ita fit, ut non minùs Regi obſtricta videatur litteraria Reſpublica, cujus beneficio, ut in microcoſmo, univerſi florum colores, ſtirpiumque vires emicant, quàm ipſi Soli rota hæc naturæ compages.

At quod me plus quàm cætera delectat ſeries eſt Numiſmatum, omnis temporis, omnis generis, & omnis metalli, aliis omnibus anteponenda. Neque hanc Invictus Heros ſibi ſolùm comparatam putat, ſic enim fama fert, orbem litteratum ejus, magnificentiæ regiæ beneficio, brevi participem fore; ſic & olim mihi ab eorum cuſtode *D. de Carcavy* indicatum memini. Felicem

licem Homerum, qui talem cantabit Achillem.

Magnates plerosque animadvertimus rariorum rerum indagini operam dare, sicque se ad Principum suorum exemplum componere, ut illorum captent aurem. Illustriss. *Jo. B. Colbertum* sub felici Regis autoritate potentissimum, suo genio in illas ferri compertum habemus, quarum in omni genere cumulat thesauros; non prætermissis antiquis Numismatibus, quibus primum inter cimelia locum deberi perspexit & dari jussit. Ejus consiliis æternùm gaudebit Respublica litteraria: illis quippe factum est, ut ære quantùmvis magno, honoribusque immensis, senum studia regiâ liberalitate compensarentur, juvenumque promoverentur.

Henrici Magni filius *Dux Vernolius de Sully*, ingentem genii felicitatem inter cimelia exercuit. Flores, picturæ, statuæ, libri, numismata Principem hunc ab improbo venationum labore, primarumque regni administrationum,

ab ineunte jam ætate recrearunt; quibus colligendis & amplificandis tempus & opes lubentissimè impendere consuevit.

Non nos latet *Mendesii Episcopi* (quem Albigensem Archiepiscopum nuper à Rege nominatum referunt) ingentem pecuniarum vim Numismatibus acquirendis minùs ad famam, ut quibusdam contingit, quàm ad propriam utilitatem & animi delicias impendisse: est enim ille ut in sacris, sic in politicis & in historicis doctissimus, imò & ipse (ut audio) eruditorum Mœcenas. *Abbati DE CAMPS* familiari suo, pariter rerum antiquarum intelligentissimo, laboris partem commisit, quo citiùs & nobilius exurgeret Cimeliarchium suâ dignitate dignum.

Supremum senatus Gallici splendorem ornat eximiè, *Guillelmi Lamonii* ejus Principis Πολυμάθεια incomparabilis: Hanc absque reconditioris historiæ monumentis languere nemo facilè ibit inficias; quare, me conciliatore, accuratas

curatas paravit Numismatum series, integritate, nullis postponendas & quod præcipuum est, concesso à gravissimis regni negotiis otio, illorum ænigmata, ut jurisprudentiæ, litteraturæque difficilioris, solvere non intermittit.

In gloriam Generalis regni Procuratoris *HARLÆI* cedat, nullum unquam ejus ætatis tanto, quo fruitur, muneri, tantam adjunxisse eruditionem. Bibliothecam & Numismata, immensa pecuniarum vi conquisitâ, ad animæ medicinam, inclitæque familiæ decus, pro gemmis habere solet.

CAROLUS TRONSO in senatu Parisiensi Consiliarius, seriem numismatum ex argento paravit, & rarissimam, & integerrimam, quâ plurimum delectatur. Quamvis harumce deliciarum sit ille intelligentissimus, operam sibi adjunxit eruditi viri *D. FLORIOT*, qui & ipse insignem Numismatum copiam possidet, cujus oculis & suos subleyat.

JO. BAPT. ALTINUS, *N. HARDY*, *& IAC. REGNARD*, tres in Urbano Parisiensi Regis prætorio Consiliarii, numismata possident rarissima: hic quidem summâ arte magnisque impensis conquisita, prioribus verò non labore parta, sed ex hæreditate relicta sunt.

N. JUSTELLUS Regis Secretarius, politioris litteraturæ cultor eximius, bibliothecæ, numismatumque gloria nobilis apud omnes, & merito, audit.

Aureis numismatibus præcipuè delectatur *D. D'MONTIEU*, quorum pretiosissimum possidet numerum.

A quo *RR. PP. Societatis Jesu* Christianam pietatem elegantioribus litteris firmare constituerunt, mirum quantum profecerint, numero, opibus, famâ, autoritate: Libris præcipuè & Numismatibus reconditiorem eruditionem aggressi, laboris sui atque industriæ gloriam publicam fecerunt. Audiveram quidem à Rev. Patre Generali indictum

iis

iis fuisse, nullam prætermitti debere horumce comparandorum occasionem, & pro opportunitate singulis in collegiis colligenda & diligenter servanda, quæ occurrerent. *Bruxellis* quidem humaniter mihi fuit exhibita, in ipsa eorum bibliotheca, numismatum antiquorum series conspicua. *Parisiis* accuratè servantur quæ *RR. PP. Sirmondus & Petavius* Jesuitarum doctissimi, olim in unum coëgerant. Immensam illis lucem affunderet *R. P. Cossartius*, si per litterata negotia, quibus pœnè obruitur, illi concessum foret.

Sic *D Genovefæ Canonici* Regulares hac erudita suppellectile bibliothecam suam ornaverunt; quam præcipuè procuravit doctissimus ac honestissimus Vir *R. P. du Molinet*. Ei quasi gentilitium est, delectari Numismatibus, quorum fratrem idem habet maximum amatorem.

Non ausim prætermittere virum cimeliorum intelligentissimum atque in eorum delectu & comparatione prudentissimum;

tissimum; *De Creil* illi nomen est, penes quem murrhyna vasa, statuæ, libri, picturæ, antiqui operis signa, Numismata ex omni metallo ut raritate & integritate, sic pretio nullis sunt secunda.

Mira Numismatum varietate apud *D. Bizot* sæpe sum recreatus. Is enim pro ingenii qua pollet magnitudine, neque his neque illis contentus, nova semper suis superaddere conatus est, à XXV. annis, quibus in amicorum meorum album scriptus est. Recentia porro numismata, an ipsi magis cordi fuerint, asserere non ausim, at scio majori ardore & felicitate conquisita. Hinc ab Illustrissimo Colberto & honoribus & officiis exceptus est. Vix ullum esse in orbe arbitror, qui omnis generis cimeliorum notitiâ eum superet, maximè quo ad recentiora Numismata.

Huic adjungere liceat honestissimum D. *De la Lande*, virum harumce elegantiarum indagatorem indefessum, & qui earum arbiter prædicari mereretur.

Præter

Præter ſua Numiſmata, ea fere omnia novit & contrectavit quæ Pariſiis ſervantur.

Eorundem magnâ copiâ frui audio D. *De Blois*, Legati Regis Chriſtianiſſimi in aula Turcica olim ab epiſtolis. Vir eſt, qui doctrinâ, elegantiâ, atque prudentiâ maximam ſibi comparavit famam.

Nunquam deficeret occaſio ſcribendi, ſi eos omnes enumerare mihi proponerem quos novi Pariſiis numiſmata colentes; finem iis imponam nominato uno Nobili Viro D. *Du Pleſſis*, qui quæ in militia pro Rege & patria fortiter geſſit, ſæpe eadem à Græcis Romaniſque heroïbus patrata feliciter recordatur: Hinc fortè ejus in libros amor atque Numiſmata, quorum ingentes acervos cumulare non deſinit.

Ad exemplum Regum optimorum Gallos quoſcunque Muſis obviam iviſſe diceres, cùm ex orientalibus regionibus quaſi exules in occidentales confugerunt: Libros atque numiſmata, eruditam ſcilicet

scilicet earum supellectilem, omnibus officiis, & qualicunque pretio exceperunt, quorum postea cultores perpetui facti sunt, generosa hac indole à majoribus accepta, & cum hæreditate ad posteros transmissa. Aliquorum nomina hic indicabo, nullum omissurus, si noti omnes forent, sed horum indicem uberiorem me traditurum data occasione, polliceor.

Aquæ-Sextiæ (Aix) Canonico *Bonfilio* & Priore *BURILIO* primùm gloriabantur, ambobus in re nummaria opulentissimis, ut cætera taceam. Iis accessit Advocatus *D. SIBON* eruditione summa ut numismatum possessione conspicuus. Quin & curiosissimo Pharmacopœo *LAUIHIERO*, gemmarum præterea & cælaturarum antiquarum strenuo indagatori & possessori.

Arelatem, regni olim metropolim, *TERRENUS* suo cimeliarchio nobilitat, ut & aurifaber *AGARDUS*.

Avenioni D. BEYREDUS itidem & aurifaber *GREGORIUS*, numismata egregia

egre ia possident: Quasi ipsis Gallico solo circumscriptis, non liceret Gallicas delicias prætermittere: nisi mavis eos urbium Dominæ immemores esse non posse, qui Romæ parent.

Gratianopolim (Grenoble) urbem antiquam celebriorem efficiunt D. Senatoris *de la ROQUE* Numismata.

Lugdunum amplissima Galliæ civitas etsi majorem è commercii celebritate gloriam ducat, habuit tamen & adhuc habet quibus se elegantiarum litterarum decore ornet. *JACOBUS SPON* D. Medicus tanto ardore se antiquitatis studio tradidit, ut Roma non contentus, ipsam adierit Constantinopolim, inscriptiones & numismata investigaturus, quorum selectissimorum manum magnam coëgit, & in patriam retulit: Neque parùm glorior hunc pugilem primùm armâsse, cui, si amplius otium mihi concedat Deus, ut feliciùs in Musarum castris pugnaturo artem cestusque suum repositurus.

Numismata ibidem habent R. P. Soc. Jesu

JESU *De la CHAISE*, Christianissimo Regi à confessionibus; Domini *DU FAVRE*, *MAYER*, item & prudentissimus mercator *SILVESTER DUFOUR*.

Montem-Pessulanum (Montpelier) artis Medicæ studio clarum & antiquitatis indagatione nobilitavit Medicinæ Professor *RANCHINUS*, cujus aurea præcipuè numismata ab ejus hæredibus etiamnum diligentissimè custodiuntur.

Civitates antiquas antiquitatis studio continuam dedisse operam, nisi abundè notum esset, argumentum præbere posset *Nemausus*. Habet quippe senatorem eruditissimum *GAILLARDUM GUIRANUM*, tum D. *GRAVEROLS* advocatum; utrumque antiquis numismatibus opulentum.

Angliæ Rex CAROLUS II. avita numismata, & ut mihi relatum est ab avo Rege *JACOBO* coacta, inter mille pretiosissima cimelia *Londini* studiosissimè servat. Illa omnia mihi monstrari olim benignissimè permisit, quorum

aurea

aurea adeò ſuperba ſunt, ut nunquam è memoriâ mea receſſura confidam.

Quid factum fuerit de celeberrima numiſmatum ſerie ab Equite *ROBERTO COTTON* collecta, hæreo : nihil enim de ea inveſtigare potui , niſi ſemotam eſſe ab hominum commercio, illamque ſuo tempore rurſus in litterariæ Reipublicæ ſcenam produituram ; concedente præcipuè publico regni ſtatu.

Memini me Londini obſervâſſe ampliſſimam ut & pretioſiſſimam Numiſmatum antiquorum ſeriem apud D. *HARVEY*, Reginæ, ut vocant, theſaurarium. Duos alios nobiles Anglos novi , antiquitatis amantiſſimos : D. *Georgium Whelerum* nuper reducem ex Oriente, cum inſigni numiſmatum rariorumque plantarum copia; & D. *Jo. Gailhardum* Gallum quidem ſed in Anglia degentem egregium eorumdem inveſtigatorem. Quidni & iis jungeretur nobilis Anglus *FALKNERUS*, qui quantum Smyrnæ degerit, tantum colligendis inveſtigandiſque nummis & oleum

oleum & operam impendit, quorum quidem ut ipse Venetiis observavi, magnum pretiosumque numerum in patriam reportabat.

CHRISTIANUS V. Daniæ Rex avitum numismatum thesaurum ampliare non intermitteret, borealium regionum gloriæ abundè consulens, nisi bellorum sævitia suavitatem ejus indolis exasperaret. Illum lustraturus *Hafniam* contendere statueram, quo me benignissimè Parisiis olim compellaverat magnanimus ille Princeps, at privatis impedimentis & turbulento Germaniæ statu præpeditus ab hoc consilio invitus desiti. Recordor quidem gratissimè Regium istum Principem aureis muneribus studia hæc mea honorâsse; Danicumque Legatum Hannibalem Seested, magnatem litteratissimum, venalia omnis generis numismata, at præcipuè aurea me curante conquisivisse, quorum ingentem numerum cumulâsset, ni obstitisset ictus sanguinis ultimam curiositati ejus lineam præcoci fato imponens.

Holmiam

Holmiam Sueciæ metropolim noſtris carere deliciis vix opinor: Eò præcipuè deportatis ampliſſimis Germaniæ ſpoliis. Porrò ab inclita *Regina CHRISTINA*, vix quidquam ibi aſſervari audivi, conſilium meum eò eundi avertente. At quot & quantas illa poſſideat Romæ, facilè intelliget aut qui ipſas viderit, aut qui *FRANCISCI GOTTIFREDI*, Neb. Romani, à quo ad regium Cimelii archium fluxere, & in conquirendis ſolertiam & acquirendis felicitatem noverit. Audivi porrò *Grippiel* regni ſenatorem, Holmiæ poſſidere pretioſa numiſmata, ut & *Upſaliæ* eruditiſſimum Profeſſorem *Schefferum*.

Amœniſſimam *Italiam*, provinciarum reginam, me prætermiſiſſe arbitretur nemo: Hæc quippe & antiquæ gloriæ vindex, & juſta rerum æſtimatrix, Numiſmata undique contrahit, ſervatque, quæ per totum litteratorum orbem diſpenſet. Vix credo fuiſſe ullum à ducentis annis Pontificem Max. qui antiquarum rerum, & harum inprimis amore

amore non fuerit captus. *Farneſiana* ſeu *Parmenſis collectio*, ſuam debet *Paulo III. P. M.* originem, *Barbarina Urbano VIII.* ut cæteras taceam; illi quod ſciam præeſt nullus: huic verò *CAROLUS MORONUS* Fratri Cardinalis Barberini, à bibliotheca. Romana porro quælibet cimeliarchia ſuperare videtur id, quod pridem *Gottifredianum*, nunc ab incomparabili Regina *CHRISTINA* poſſidetur, quodque regia benignitate non minus Litteratis publicum eſt, quàm ſi publicum eſſet. Ejus gloriæ plurimum obeſt *Fr. Camelii*, qui illi præerat, infelicitas; Is corporeis luminibus orbatus, quantumvis erudita ſua perſpicacitate & diligentia, reconditiora nummorum ænigmata ampliùs ſolvere non valet. Abbati *BRACCESII* ſeries ex ære magno ea eſt, quæ nullam ſuperiorem, parem fortè nullam habeat. Mœrens hic refero ſelectiſſimam numiſmatum *collectionem Cardinalis MAXIMI*, utpote cujus commemoratione renovatur dolor mihi patronum, Reipublicæ litterariæ orna-

ornamentum, ac Ecclesiæ Principem nuper ereptum esse: utinam illa in manus deveniat eruditas, & tanto thesauro dignas; cujus non minima erit gloria, per V. C. *Petrum Bellorium* politioris litteraturæ, ut & antiquitatis intelligentissimum coactam fuisse; cùm nummos ejus aliquot rariores doctissimis interpretationibus illustraverit.

Medicæi Principes, Magni Hetruriæ Duces, quantum possideant enarrare mei non est propositi. Judicent soli qui *Florentias* lustravêre. Avitis quidem Numismatibus, tantum tamque pretiosum numerum adjunxerat sæl. mem. *Cardinalis LEOPOLDUS*, ut mihi pulcherrimam civitatem percurrenti, vix licuerit ea notare quæ pridem Antiquariis erant incognita, schedisque meis inferere. Ibidem *NICOLINUS* Marchio cimeliarchium habet omni laude dignum, seu numerum aureorum, argenteorum & æreorum spectes, seu eorundem raritatem, seu statuarum, vasorum & inscriptionum eruditam varietatem.

tem. Quod imitantur Ill D. D. *Gaddi*, Marchio Riccardi, aliique ejusdem elegantissimæ Civitatis Proceres.

Mutinæ Dux immensas possidet ejusmodi opes, ab Estensibus Ferrariæ Ducibus, de republica litteraria oppidò benè meritis, collectas, quas certe supra quaslibet laudare audeo. Illis præest Eques *Jo. Donzi*.

Præterea antiqua numismata olim possidebant *Mantuæ Duces*, quæ bellorum furore atque injuriâ distracta sunt. Ibidem porrò R. P. *Bulgarinus* Serenissimæ à sacris &c. eorum, ut audio magnam congerit seriem: forte ne celeberrimæ urbi desit quod famam possit ulteriùs extendere.

Neapolitanum unum cimeliarchium mirè extollunt, qui illud lustravêre, à *Francisco Pechietto* architecto regio coactum; non prætermisso eo quod inchoavit Nobilis eruditus *Andreas Andreinus*.

Paucæ certè sunt Italiæ civitates quæ nummorum antiquorum collectionibus

non

non ſint conſpicuæ. *Imolæ* id præſtant tum R. P. Mag. & Prior Servita, *Ant. Franciſcus Cani*, ut illorum intelligentiſſimus, ſic mihi amiciſſimus, tum Co. *Ramirus Machivelli*. *Faventiæ*, D. *Petr. Maria Cavina*: *Foro Livii* (Forli) *Eques Sigiſmundus Marcheſi*. *Piſauri*, D. *Hieron. Gavellus*, & Doct. *Dominicus Oliverius*. *Regii*, R. P. *Fontanellus* Servita. *Rhodigi*, litterarum politiorum amantiſſimus D. *Silveſter Camillus*.

Bononiæ, præter *Cardinalem Archiepiſcopum Buoncompagni*, multi multa habent numiſmata: Comes *Valer. Zani*: Senator *Car. Maria Geſſius*, olim Senat. *Berlingerii* filius: *Marchio Ferdinandus Caſpi*: *Ant. Felix Marſilius*: Com. *Hieron. Boſellus*: Doct *Silveſter Bonfiglioli*: Celeberrimus Medicinæ Doct. *Marcellus Malpighius*. R. P. *Maria Minii*, Vicarius Clericorum Min. Regularium. R. P. *Leo Canalis* Servita. R. P. Jo. Bapt. *Cattanius* Ordinis Minoris Obſervantiæ, è cujus intelligentia atque eruditione ſperare poſſumus magnum antiquis

nummis argumentum, ex iis quos ex Hiſpania in has oras detulit. R. P. *Jo. Angelus Ricci*, ille & Ordinis Minorum Provinciæ Bononienſis Secretarius ac Commiſſarius Provincialis, *Jac. Maria Marcheſinus: Valerius Polazzus* antiquitatum amantiſſimus. *Marchio Montalbanus: Lud. Laurentius*, Medicus. *Joſeph Magnavacca* pictor, cui & alios ejuſdem artis eximiæ alumnos adjungam, *Blancum Negri*, qui fratris ſui *Jo. Franciſci* hæres, hoc titulo eximia poſſidet Numiſmata; & celebrem *Proſperum Mancinum.*

Mediolanum poſtremis ſæculis tot bella paſſum eſt, ut mirum ſit aliquot ibi ſupereſſe Cimeliarchia; Principibus pro tempore dominantibus, rariora quælibet ad avitas collectiones deferentibus. Unum porrò eſt ſuperbiſſimum, libris exquiſitiſſimiſque tabellis pictis refertiſſimum. *AMBROSIANUM* ſcilicet ab optimo eruditiſſimoque Cardinale *Frederico Borromæo* inſtauratum. Partem ejus non ignobilem faciunt Numiſmata

miſmata antiqua plurima, à Divo Carolo hujus patruo collecta, quæ omnia curæ commiſſa ſunt urbaniſſimi ac ſingularis eruditionis Viri *Petr. Pauli Buſca*. Ei adjungamus, quæ viſuntur tum apud Canonicum Illuſtrem virum *Manfedum Septalium*, tum apud nobilem *Franciſcum Mediobarba Birago*, tum Doctorem *Secchia*.

Verona Comitem habet *Lud. Moſcardum*, tam vaſtæ curioſitatis, ut omnis generis cimelia poſſideat. *Muſæum Calceolarium* Moſcardici longè ſuperioris baſim eſſe, utrumque ſatis commendat: hoc deinde Numiſmatibus antiquis ſigniſque, clariſſimum eſt.

Nec *Vincentiæ* deſunt deliciarum noſtrarum amatores R. P. *Treſſinus* Canonicus Regularis, & *Jo. Bonomo*, J. U. Doct. & Presbyter digniſſimus.

Utinum, eruditiſſimum *Antonium Griffonium*, ſui decoris (quod Muſas noſtras ſpectat) vindicem habet, mihi ut cætera taceam amiciſſimum. Deinde & alium Nobilem D. *Lucretium Agricolæ*.

Cadorum, Titiani patria, Medicum habet eumque Poëtam & Philologum, Numiſmatum Poſſeſſorem amantiſſimum, cui nomen *Jo. Bapt. Fabri*

Quid de *Venetiis* referrem, quod tantæ urbis celebritati impar non foret, opes ubique quærantur; at illic reperiuntur: nec de vulgaribus modò loquor, ſed de eruditis ac antiquis. Ulla vix ab oriente ad hoc emporium appellit navis, quæ id non ditet aliquo theſauro recenter effoſſo, rem nummariam maximè illuſtrante. Tanta numiſmatum antiquorum delectatione afficiuntur Veneti Principes, ut quod à Sereniſſimæ Reipublicæ officiis tempus habent reſiduum, illis conquirendis & inveſtigandis lubentiſſimè concedant; adeò veteris Romæ veterumque ejus Heroum in Venetias Venetosque migravit animus. Singulos enarrare nimis foret longum, majora tamen nomina, imò maxima, reticere nequeo. *Leonardus Piſaurus*, *Angelus Moroſinus*, *Juliuſque Juſtinianus*, D. Marci Procuratores.

Marc.

Marc. Ruzinus, *Petrus Morosinus*, *Nicol. Michael*, *Jo. Dominicus Tiepolus*, *Georg. Barbarus*, *Bened. Cappellus*, *Anton. Capellus*, *Ant. Sodarinus*, *Petrus Garzonus*, Abbasque *Grimannus*, illi sunt qui omni ex parte qualecunque hoc elogium superant. Porro commemorare non intermittam Baronem *Ferdinandum de Tassis*, Abbatem *Angelum Riccium* D. Med. *Mar. Brunum*, *Nicol. Bon.* J. U. Doct. urbanissimumque *Dominicum Zianum*, & *Hieron. Torcilianum* eloquentissimum. Plures, fateor, sunt mihi incogniti, qui gloriæ Tuæ studentes, ô Adriatici maris Regina, numismatum eruditioni, investigationi ac possessioni operam navant.

Præcipuum mihi quod supereſt, *Patavium* explicet: urbs Antenoreâ nobilitate, Trojanaque vetustate superba, Academiâ celebris, & numismatibus antiquis locupletissima. Unus *Joannes Comes à Lazara*, vir ut antiqua probitate sic clarissimis avorum imaginibus illustrissimus, majorem habet numerum,

quàm decem aliæ hujus nominis Civitates oſtenderent; tantæque integritatis atque raritatis, ut ſæpius mihi in mentem venerit, illa ex archetypis deprompta toti orbi communicare; quæ præcipuè ex ære magno ſunt; adeò ſupra cætera ejuſdem ſpeciei eminent. Eques *Grimaldus* armis litteriſque clarus, ex utriſque Cæſari comparandus, ſummæ antiquitatis cognitioni Numiſmatum adjunxit poſſeſſionem, minus aucupandæ famæ (quam omni ex parte adeptus eſt) gratiâ, quàm nectareo hoc cibo paſcendi animi. Comes *Andreas Zabarella*, *Car. Paparottus prætorius cancellarius*; *Georgius à Torre* & *Sebaſtian. Guzzonus*, ambo viri medici doctiſſimi inter cæteros conſpicui ſunt, qui præterea Patavii numiſmata colligunt. Denique locum hîc inveniat mihi amiciſſimus *Car. Torta* Academiæ Cancellarius, cujus curæ atque ſedulæ indagationi ampliſſima hæc civitas debet, quidquid aureorum Numiſmatum habet, quorum ſuperbiam enarrare non eſt hujus loci.

Tan-

Tandem & ignaviæ notam incurrere, nimiæque modestiæ atque in publicum injuriæ accusari possem, si Musæi mei nullam hic rationem habendam censerem. Conquærerentur fortè sexcenti Nummi singulares, non minori diligentiâ, quam sumptibus conquisiti, qui in eo asservantur. Horatiæ gentis numisma *COCLITEM* indicans, inter eos excellit. Multi postea Impp. Romanos celebrant ex ære mediocri, in coloniis & græcis civitatibus præcipuè cusi, qui raritate suâ aut integritate non minus desiderium, quàm voluptatem inspicientibus excitant.

Barbaras gentes censeas, quæ elegantioribus istis rei litterariæ ornamentis nullam dant operam: sic se habent Scythæ, Garamantes & Indi, quorum mentionem feciſſe in hoc opusculo penè pudet. Libenter quidem audiveram cimeliarchium antiquis numismatibus refertum in Constantinopolitanâ bibliothecâ Cæsaris Ottomanici Archiatro concredita diligentissimè servari: vereor tamen

tamen ne mihi fucum fecerit qui hæc retulit : Quippe nota lex Mahumetis, ſcribente Jo. Leonclavio, *Pandect. hiſtor. Turcic. num.* 55. *quâ ſtatuas, ſimulachra, ſculptas & pictas imagines ex interdicti præſcripti divino ſeverè prohibuit Notum quanto zelo Muſulmani Chriſtianorum in templis imagines mutilare, frangere, deſtruere ſoleant. Itaque cùm Romanorum & Græcorum Imperatorum imagines IN NUMMIS & aſpris expreſſæ conſpicerentur, violari Prophetæ Legem clamabant, & abolendæ MONETÆ VETERIS autores erant: ſed interim ſub prætextu religionis impoſtores nequiſſimi quæſtum faciebant, ut ipſimet Turcæ ſatis ingenuè fatentur.* Ad hæc accedit imò ſuperat nuper defuncti . . . . Querini autoritas : Is Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ad Imperatorem Turcicum Legatus, rerum antiquarum & præcipuè Numiſmatum æſtimator, in illas ſummâ diligentia inquiſiverat, ſed a'tum ubique ſilentium neque ullum veſtigium comparebat, quod Conſtantinopoli redux mihi familiari colloquio aſſeverare non eſt gravatus. No-

Nolim porrò Conſtantinopolin egredi non celebrata Numiſmatum congerie, quàm & ſumma autoritate ſummiſque impenſis coëgit Chriſtianiſſimi Regis ad Ottomanicum Imperatorem Legatus, D. *de Nointel*, cujus induſtria factum eſt, ut in media barbarie, amœniores Muſas reſtitutas lætemur, brevi in Gallicas convertendas. Optandum eſſet, ut quod apud iſtos litterarum oſores, eruditæ ſupellectilis reliquum eſt, ad ejuſdem Cultores Italos, Gallos, Germanos, aliosve politiores populos deferretur. Hoc eſt, quod præcipuè in votis habere me confiteor.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 3. lin. 5. l. ex ipsis ruinis.

Ibid. lin. 15. l. Principibus ac Magnatibus.

p. 10. lin. 20. l. exigebant.

p. 11. lin. 18. Sagi.

p. 13. lin. 1 & 2. Reipublicæque.

JOSEPHI MARIÆ

SUARESII

Episc. Vasionensis, & Vicarii
Basilicæ D. Petri,

DE

NUMISMATIS

&

NUMMIS ANTIQUIS

DISSERTATIO.



BIBLIOTHÈQUE DE LYON

AMSTELÆDAMI,
Apud HENR. WETSTENIUM.

cIↃ IↃC LXXXIII.

CLARISSIMO
CONSULTISSIMOQUE
VIRO
SEBASTIANO
FÆSCHIO,
J.U.D. & IN ACAD. BASIL.
PROF. PUBL.

HENR. WETSTENIUS
S.

DUm vitæ anteactæ, dum a micorum seriem cum animo meo considero, *Clarissime* FÆ-

SCHI, non potes non inter primos mihi obversarier. Illa enim quæ à teneris inter nos fuit animorum conjunctio tam altas radices egit, ut nulla unquam ratione evelli possit. Et quamvis diuturnum illud & pertinax mutuarum literarum silentium duriusculam suspicionem movere videatur, id tamen asseverare ausim, nunquam mihi gratam Tui memoriam intercidisse, meque à pristino in Te studio ne latum adhuc unguem

guem discessisse. Id flagitant antiqua Tua in me pietas & vinculum illud sanguinis quo inter nos colligati sumus. Quibus accedunt suavis Tua indoles, nivei mores, optimarum scientiarum, & inter has politioris literaturæ & antiquitatis studium, & quæ aliæ egregios viros commendare virtutes solent. Et quis dotes Tuas enumerando brevis esse possit? Græce tantum, quantum Eruditorum quisquam cal-

les. Juris peritiam arguit Professoris persona quam tanta cum laude sustines & ornas. Cimeliarchium possides viris dignum Principibus & inter prima Europæ merito numerandum, sive quis numismatum antiquorum perpetuam seriem, sive rariores picturas, sive denique elegantiorum librorum numerum spectet. Huic præes non inanis spectator vel custos, sed qui mente possides quæcunque vastus ille

The-

Thesaurus Tuus capit. Hinc temperare mihi non potui, quin publicum hoc affectus in Te mei specimen darem. Opusculum fateor mole exiguum nec tanto dignum Viro; argumento tamen ni fallor tale quod curiositati Tuæ satisfacere possit. Rogo itaque ut illud pro Tua humanitate suscipias, nec pagellarum numero, sed rerum quas tractat ponderemetiaris. Deum veneror, ut Te cum omnibus

Tuis

Tuis diutissime servet!
Amstelædami Calendis
Aprilis cIↃ IↃc Lxxxiii.

DIS-

DISSERTATIO de NUMISMATIS.

CAPUT I.

De Numiſmate Problema.

AGitatur nobile problema inter *Æneam Vicum*, & *Sebaſtianum Erizzum*: iſte negat ea numiſmata, quæ inſigniuntur facie illa Anaglypha Imperatorum, Uxorum, & Filiorum, fuiſſe in uſu commercii.

1. Quia non eſt veriſimile vulgari monetæ inſculptas fuiſſe eas Imperatorum facies, quas Romani numinum inſtar adorarent, & cum illis ad loca ſecedere turpia apud eoſdem Romanos eſſet capitale (ut patet ex

Suetonio in Tiberio) atqui per manus artificum viliorum traduci facies adorabiles quam indecorum esset.

2. Quia ob nimiam eminentiam Anaglypha essent incommoda numerationi, atque adeò humanæ societati, & commercio.

3. Quia erant elegantiùs excusa, Anaglypho nimirum eminenti, & exsculpto. In quo Anaglypho cudendo oportuisset Marculos signatorios sæpius perfringi; undè fuisset moneta, & Principi, & Præfectis monetariis damno magis, quàm utilitati.

Ab hac sententia discedens *Æneas Vicus*, arbitratur numismata ea, quæ antea descripsimus; fuisse apud Antiquos vulgarem monetam.

1. Quia fuit in usu apud omnes nationes, ut facies Principum inscriberentur Monetæ, à qua etiam appellationem hauriebant, undè Darici, Philippici, a facie Darii, Philippi insculpta; vult *Aristoteles* in Politicis appositam monetæ faciem Principis tan-

tanquam fidejussorem, & vadem justi ponderis, & legitimæ materiæ. Apud Imperatores Græcorum in usu etiam fuit adscribi in nummis faciem Christi, quæ adorabilis est.

2. Ea numismata, quæ sunt Anaglyphi eminentioris, adeò non impediunt numerationem, ut etiam juvent, quia faciliùs ab invicem separantur; adde quod sint ad usum diuturniora, quòd facies Principis eminentior, sit etiam diuturnior.

3. Quod attinet ad elegantiam, & ad marculorum frequentem fractionem, ejus est sententiæ, non excusa fuisse numismata, sed fusa, asseritque Lugduni repertos aliquando ex argilla conflatos monetarios modulos; quibus ita fusis adhiberentur marculi, ut ad absolutam, & expolitam elegantiam perducerentur facies Imperatorum in Numismatis. Sed plura solerter eruditissimus *Carolus Patinus* in Historia Numismatum c. 3. ex l. 28. D. de Usufructu; Numismata distin-

guens à nummis, etsi sæpissimè miceantur.

Cap. II.

De Dignitate Numismatum.

Post symbola & characteres Ægyptiacos, post historiarum monumenta litteris consignata, quæ omnia ignis fuerunt, temporisque spolia, demum excogitatum est, iis instrumentis actiones humanas committere, sine quibus humanæ societatis commercia consistere non possent; Monetam intelligo, inventum, quo nullum fuit minus ab initio, nullum majoribus incrementis ad gloriam Imperiorum processit; nihil siquidem vel Græca, vel Romana gessit Respublica, quod spectandum sibi, vel legendum non dederit Moneta.

Si Bella placent, in nummis apparent descripta vexilla, trophæa, allocutio-

cutiones, triumphales currus & arcus, armaturæ modus omnis, clypei, cassides, ancilia, &c.

Si Religio placet, in nummis apparent facies Numinum antiquorum omnis generis, pax, felicitas, æternitas, pietas, templa, sacrorum omnium ritus, Deorum simulacra, aræ, vasa, litui, funerum varietas, apotheosis.

Si placent Politica, in nummis visuntur magistratuum fasces, ludi sæculares, theatra, amphitheatra, sellæ, diademata, tiaræ.

Quidquid tandem de primario illo populo celebrari potuit, aut ignorari à posteris non decebat, in æternis numismatum tabulis asservatur. Numismata siquidem sunt illa memoriæ tabula adamantina, gloriæ perennis & immortalis charta, illustris ara Mnemosynes. Inclusum itaque in nummis nobile historiarum opus, atque adeò alibi collapsum restituunt numismata, & illustrant historiam antiquam.

——— Victura signavit imagine nummus,
Flamma triumphales ambussit livida ramos,
Auratasque notas vis lethi infregit, & ævi,
Naumachiæ, Circi, Templa, Amphitheatra, Colossi,
Nunc brevis immenso Romæ de funere pulvis,
Dives adhuc cornu fortuna reliquit in auro,
Viva renascentes cui spirat imago Quirites.
Mira fides Plutus Dis lumine cassus, in auro
Nunc oculos centum ceu lynceus Argus adaptat,
Qui cæci ante Midæ insanas erravit ad artes
Nunc sedet ipse Sophon gremio, Phœbique Theatro
Spectat honorato spectandus & ipse metallo,
Ac docto loquitur facunda silentia vultu, Dar-

Dardanidum antiquos muto canit ære triumphos.

——— *præstantque Numismata chartis.*

——— *Antiquo quo vivit Roma, metallo*
Roma hic actu, sola alibi quæ voce triumphat.

CAP. III.

De origine & ætate Numismatum.

DIvus *Augustinus* lib. 4. de Civit. ait placuisse Romanis, ut Argentinus Deus diceretur filius Æsculani quod ærea moneta argenteam præcessisset. Pecuniæ signatæ usum antiquissimum fuisse patet ex *Genesi* de Abrahamo, & aliis; formæ, & usus facilitas à Servio Romano Rege traxit originem, qui ovium, bovumque effigie signavit nummos, indeque dicta est pecunia.

Jano tribuitur à plerisque origo signandæ pecuniæ, quòd in altera

fronte nummorum adscriberetur ejus caput, in altera verò fronte, vel navis, vel pons, vel corona. (*Vide Athenæum, & Macrobium.*) Licèt alii velint navim appositam fuisse nummis Italicis, quòd Saturnus navi vectus fuisset in Italiam.

Licebat Prætoribus, Quæstoribus, ac Legatis, nummos cudere in Provinciis, ait *Fulvius Ursinus*, & in iis familiarum suarum gloriam characteribus symbolicis tanquam litteris sculpere, ita ut quod nobis sunt stemmata gentilitia, in quibus Galli familiarum suarum gloriam pingunt, id Romanis essent numismata, in quibus adscriberent æternis pæne monumentis domesticæ gloriæ dignitatem.

Cap. IV.

De Materia Numismatum.

PRimus nummus fuit ex ære, ut divitiis assignaretur pondus, sub

sub quo mortales gemere docerentur. Nihil aptius certè potuit eligi ad numismata cudenda, quam metalla, seu commercii gratia, seu memoriæ conservandæ, nam figurata metalla faciliùs circumferuntur, & difficiliùs deteruntur.

Alexander Severus necessitate compulsus ex Electro monetam cudit, hoc est miscuit quintam argenti portionem, in aureis, quatuor, ut *Plinio* visum est loquenti de Electro; Gallis dicitur *Or bas*, *Or blanc*.

Caracalla cudit adulterina numismata, plumbum videlicet argento, vel auro illitum pro nummis exponens, ait *Xiphilinus*.

Numa ligneos, & scorteos cudit nummos, quem imitatus est Fridericus Ænobarbus, qui penuria pressus in stipendium militum scorteos nummos distribuit argenteo clavo suffixos.

Ferreis nummis dicuntur usi Lacedemonii lege Lycurgi, ut impedi-

rentur pondere pecuniarum, nec eis sese onerarent. Dionysius Tyrannus stanneis nummis fertur usus.

Materia communis Numismatum fuit apud omnes nationes aurum, argentum, æs; quòd æterna sint metalla; stanno, & plumbo abstinuerunt, quod usu deterantur nimis.

Cap. V.

De forma Numismatum.

IN Numismatum figuris tria potissimum videntur consideranda. Et primò quidem occurrit frons prima Numismatis, in qua sculpebatur, utplurimum, facies Principis. Secundò aversa frons, in qua symbolicis characteribus scribebatur gloria Familiarum, vel Imperii. Tertiò, Epigraphæ variæ, quibus Numismatis utraque frons sæpissimè coronatur.

CAP. VI.

De prima fronte Numiſmatum.

DIgniſſimum omnium ſpectaculorum ſub Cælo eſt humana facies, ideoque antiquitas, ut illuſtrium virorum faciem faceret immortalem, auro, argento, ære immortaliter expreſſit

Illuſtres animas, & quas ab imagine laudes.

Regii, & ſupremi juris cum ſemper fuerit cudendæ Monetæ poteſtas, nemini unquam licuit niſi Principi ſupremo faciem propriam imprimere Numiſmatum primæ fronti. Indè Darius puniit Aryadnem (ex *Herodoto* lib. 4. Hiſtor. pag. 316.) Ægypti Præfectum, quod auſus fuiſſet monetam cudere argenteam, cui propriam faciem impreſſerat. Eodem crimine Commodus damnavit Perennium, & Severus Plautianum. Undè qui ambiebant Imperium ſecretò propria

facie impressam nonetam cudebant, quam deindè spargerent & publicarent. Exosi verò Imperatoris Numismata jussu Senatus semper recusa, & refusa sunt, ut ejus facies aboleretur vel in nummis, quod Caligulæ, Neroni, Domitiano, Commodo, & Heliogabalo contigit.

Consulum tempore nulli licuit in nummis propriam insculpere faciem viventis, sed Triumviris Monetariis A. A. A. F. F. constitutis licuit vel avorum, vel insignium virorum facies insculpere.

Dion. lib. 44. testatur Julio Cæsari omnium primo concessum fuisse à Senatu auctoritate publica, ut effigiem sui viventis in nummis sculperet; quod admisit, exemplumque ejus secuti sunt posteri Cæsares.

Unum objicitur, plurima extare Numismata, in quibus visitur facies, Junii Bruti, Servilii Halæ, Reguli, Marcelli, Syllæ, Dolabellæ, Pompei, Domitii, &c. Huic dubio multa reponi

poni possunt. Et primò quidem hujusmodi Numismata cusa fuisse tempore turbulento bellorum civilium, in quo licebat non quod legibus, sed quod libido, & potestas viribus parata indulgebat. Secundò, non causa iis viventibus, sed fortè ab aliquo Triumviro Monetario, cui Cæsares veniam dabant avorum suorum effigiem imprimendi, præsertim initio Imperii.

Aristoteles in Politicis asserit ideò impressas nummis Principum effigies, ut auctores essent subditis seu de materia, seu de pondere legitimo pecuniarum, cum id omnes sibi facilè persuadeant neminem ausurum violare nummum, in quo sit impressa majestas Principis, cujus facies sit ad instar sigilli publici; inde est ut Imperatorum Moneta sacra fuerit appellata. Imò quod adoraretur facies Imperatorum etiam in nummis, sunt qui explicent illud Apostoli: *Avaritia, quæ est Idolorum servitus*, de ado-

ratione faciei Principum in nummis.

Adulterinæ pecuniæ conflatores, imminutæ majestatis rei semper habiti sunt, non tam ob suppositum nummum, quam quòd dignitatem vultus Imperatorii fœdasse crederentur. Inde in Constit. *Gratianus* & *Theodosius*: *Plectatur supplicio, qui æternales vultus, dum fraudibus studet, duxerit violare.*

Theodoricus Rex apud *Cassiodorum* libr. 5. epist. 32. *Monetæ debet integritas quæri, ubi vultus noster imprimitur. Quid enim*, ait, *tutum, si in nostra peccatur effigie, & quam subjectus corde venerari debuerat, manu sacrilega violare festinet.* Et infra: *Sit mundum, quod ad formam serenitatis nostræ adducitur; claritas Regia nihil admisit infectum, nam si vultus cujuslibet puro colore depingitur, multò justius metallorum puritate principalis gratia custoditur; imago Principum subditos videtur pascere per commercium.*

Ea

Ea sane fuit gloria apud populos faciem in Monetis imprimere, ut Reges & Imperatores sibi solis licere voluerint, cujus gloriæ tenaces adeò fuere Romani Imperatores, ut Regi Persarum non concederent signare in auro faciem, sed in argento duntaxat, licet Francis Regibus id concesserint, ut habet *Procopius*.

Idem jus in Principibus certè Divus Ludovicus bellum movit contrà Ducem Britanniæ Petrum cognomine *Maucler*, seu malum Clericum, quòd contra fœdus, quo cavebatur, ut candida duntaxat, æreaque materia faciem signaret, auro signasset.

Imago Principum impressa fuit vario Numismatum generi monetario nimirum, honorario munerario; indè ex monetario dicti Darici, Philippici, Antonini, ex *Vopisco* in Aureliano; & in Evangelio: *cujus est imago hæc?*

CAP.

Cap. VII.

De Honorario Numismate.

Ad Chilpericum Francorum Regem misit Tiberius Imperator Aurea Numismata quingenta, singula libraria facie propria notata, cum epigraphe: *Tiberii Constantini perpetui Augusti*; in aversa fronte currus & auriga; Epigraphe: *Gloria Romanorum.*

Henricus IV. Franciæ Rex, Helvetiis Legatis fœdus renovaturis torquem singulis dedit quingentorum aureorum, cui appensum erat Numisma signatum facie sua. In aversa verò fronte erat Ara, cui innixæ binæ columnæ coronam sustinebant; omnia verò ramis palmeis, laureisque erant implicata. Ad basim Aræ programma. *Ex auro Francigena, Anno fœderis renovati effosso.* In ambitu Numismatis Chronologicum erat programma ejus anni 1602. *Regis saCra fœDera MagnI.*

Cu-

Cusum fuit Numisma ab Herode, cujus prima frons exhibebat caput Antonii, hâc epigraphe : *Salomoh Melech* ; *Salomon Rex.* In aversa fronte templi icon. Epigr. *Templum Salomonis.* Adulatoriè, quasi Antonius esset alter Salomon, Templi Restitutor.

CAP. VIII.

De Munerario Numismate.

APpressa facies Principum nummis potissimum in Inauguratione. Unde ait *Ammianus Marcellinus*: *Aureos nummos in vultum novi Principis aptarunt. Justinianus* in Novell. *soli Aurum spargere datur Imperatori, cui etiam soli contemnere præstat fortunæ fastigium. Argentum verò Consulibus largiri decens.*

CAP.

Cap. IX.

Vultus Heroum & Deorum in Numismatibus.

ROmæ galeatæ cum duabus Alulis virili specie apposita est effigies in nummis Consularibus, ut plurimùm, in prima fronte.

Præfecti Monetarii Heroum imagines gentilitias apponebant, ita Calphurnia gens à Calpo filio Numæ originem trahens, Numæ vultum in nummis apponebat: Martius Philippus ab Anco Martio Rege, Anci Martii: Tituria, Tatii Sabini Regis: Julia, Veneris caput: Claudia gens, Claudiæ Vestalis: Cornelii, Africanæ, aut Nasicæ. Civitates vultus fundatorum apponebant in Numismatis: Tarentini, Tarentis fundatoris Delphino insidentis, quod esset Neptuni filius: Tomitani, Thomæ herois, hac Epigr. Θωμᾶς ἥρως. In aversa fronte Herculem apponebant horum Genium tutelarem.

Cap.

CAP. X.

Vultus Virorum Illustrium in Numismatibus.

MAgnesii affecti magnis beneficiis à Cicerone, in prima fronte suorum Numismatum caput ejus apposuerunt; in aversa verò facie, manum quæ civicam coronam ferret; allusum ad eam, quam meruerat Consul. Eundem honorem Tito Flaminio libertatis auctori Græci tribuerunt hac Epigr. Τ. Φ. Θ. *Tit. Flam. Deus.*

Coi Hippocratis vultum nummis apposuerant, Teji Anacreontis, Parii Archilochi, Crotoniatæ Milonis, Samii Pythagoræ, Tarentini Architæ, Smyrnæi Homeri, Mitylenæi Sapphus, Athenienses Cynegiri, Gelon* Rex Siciliæ uxoris imaginem nummis apposuit, cui nomen Demarete, unde nummus dictus Demaretius, imo

* *Uxor Gelonis Regis, Demarete, filia fuit Theronis Tyranni Agrigentinorum. Fazell. lib. 1. Decad. poster. de Reb. Sicul. c. 4.*

imo ipsa Demarete. Gergilii in Phrygia, Sibyllæ, eorum concivis, vultum: Alexander Severus, Alexandri Magni faciem: Tiburtini, quòd absoluti essent in Senatu ex Lentuli Prætoris industria, ejus faciem nummis insculpserunt. Caligula jussit apponi in nummis imaginem trium sororum, Agripinæ, Drusillæ, & Juliæ, Dearum habitu omnes, cum cornucopiæ; altera columnæ innixa Constantiæ Deam repræsentabat, altera cum patera Pietatem, altera cum clave Fortunam. Item matris Agripinæ vultum appositit memoriæ propagandæ gratia.

Cap. XI.

De aversa fronte Numismatum.

REm infinitam aggredior explicandam, eas imagines nimirum, & characteres, qui in aversa fronte Numismatum adscribebantur à Veteribus

teribus, seu Græcis, seu Romanis, seu Barbaris, qui characteres cum à sola ingenii libertate penderent, per se nullis terminis circumscripti, infinitum propè in numerum excreverunt. Uti tamen commodius disputare de illa characterum infinitate liceat, eam ad definita capita revocabo, & primo *de sacris Deorum, Pontificum, ac sacrificiorum symbolis* quæstionem instituam; secundo *de Politicis Magistratuum, ac Regum insignibus, de chacteribus Ludorum, Coloniarum, & aliorum id genus*; tertio *de Bellicis Trophæorum terrestrium & maritimorum insignibus*; quarto, *de nobilitatis characteribus, & gentilitiis symbolis*; quinto, *de symbolis artis, & scientiæ Hieroglyphicis*; sexto, *de symbolis moralibus virtutum, & vitiorum.*

Gabriel Symeon Florentinus arbitratur eos Characteres, qui appingebantur in aversa fronte Numismatum, nihil aliud fuisse quàm symbola, quæ nos appellamus (*devise.*) Quæ sym-

ſymbola ſi erant gentilitia, poterant arma, & inſignia familiarum vocari; Inde in ea eſt ſententia de noſtris ſtemmatibus gentilitiis, nihil aliud ea eſſe, quam averſam numiſmatum antiquorum frontem: Alibi tamen dicit nos inopia laborare argumenti, qui in averſis numiſmatibus appingamus ſola ſtemmata, cum antiqui fuerint tam copioſi in appingendis ſymbolis, & Characteribus tam diverſis.

Apud Romanos creſcente Magiſtratuum, quibus erat cura permiſſa cudendæ pecuniæ, ambitione, extremis Reipublicæ temporibus, familiarum honores appoſuerunt Præfecti Monetarii in averſa fronte, ut ſymbola Sacerdotiorum, Magiſtratuum majorum, Ludorum exhibitorum, Triumphorum, Templorum conſecratorum, & aliorum id genus; cum antea duntaxat apponerent ſymbola rei Monetariæ, aut Caſtrorum ſigna, vel Victoriam, vel Bigas, vel Quadrigas, indè nomen Victoriati, Bigati, &c.

Sub

Sub Imperatoribus, numiſmatibus adſcribebant omnes illuſtres caſus; uti ſanitatem Principis, per ſymbola Deæ Sanitatis; ita nuptias, concordiam, expeditiones militares, victorias; omnes demum caſus ſeu bellicos, ſeu politicos.

CAP. XII.

De ſacris averſi Numiſmatis Characteribus.

IN Siclo Judæo excudebatur virga Aaron, & vas, in quo ſervabatur Manna reconditum, in memoriam cœleſtis utriuſque beneficii, & præſtiti ſibi Sacerdotii. Epigraphe: *Siclus Iſrael*, & vaſi impoſitum Aleph, quod per ſe ſolitariè poſitum ſignificat vel Adonai, vel Iehova.

Semiſiclus, in cujus altera facie adſcribebatur radix Balſami, in altera Palma arbor. Utraque ſymbola provinciæ Paleſtinæ, vel potiùs Circumciſionis;

cisionis; nam folia Palmæ in figuram cultri finguntur à natura; & Balsamum ut colligatur, incidi debet arboris cortex non ferreo, sed lapideo cultello. Unde huic Semiclo erat Epigraphe: *Tempus circumcisionis.*

Item in alio Siclo prima frons guttum habuit, & lanam, symbola Sacerdotalis unctionis. In altera fronte torquis Regius variis unionibus distinctus erat, ex multiplici nimirum Regum, & Virorum illustrium serie, ut creditum *Villalpandæ*, totiusque Sicli symbola denotant Pontificalis, & Regiæ dignitatis apud Judæos concordiam.

In nummo Jubæ Africæ Regis apponebatur Ara, cui serpens erat implicitus. Epigraphe. *G. T. M.* id est, *Genius Tutelaris Mauritaniæ.*

Æternitas Augusta altera manu Solem, altera Lunam præfert in Hadriano.

Providentiæ Deorum fulmen adscriptum, quod est symbolum supremæ

mæ auctoritatis; Item Character est celebritatis, & auspicium rerum illustrium; undè Ægyptiis amplitudinem gloriæ, & famæ toto orbe diffusæ significabat fulmen. Consiliarium etiam dicitur fulmen, quòd eo præsagiantur principibus rerum eventus, in Antonino.

Antoninus Philosophus Imperator fulmen tenens à Victoria in Nummo coronatur seu æmulus Jovis, seu debellatis ac fulminatis Marcomannis.

D. Paulina uxor Maximini in cœlum rapitur Pavone, sicut Faustina, in aversa fronte numismatis.

Solebant Principes speciem affingere sibi ejus Dei, vel Genii, cui essent peculiariter addicti. Ita Antonius fingebatur in Numismate, Bacchi specie hedera coronati. Augustus Apollinis, Commodus Herculis, Antiochus Epiphanes Dionysii.

Dii Tutelares adscripti in Numismatis, ut Pallas à Domitiano, & Antonio Philosopho, & Caracalla; ita

Hercules à Commodo, & Maximiniano, Romulus ab Hadriano, Iupiter à Diocletiano, Apollo à Gallieno.

Ita omnes ii Imperatores, qui in Asia res feliciter gesserant, aut Imperium obtinuerant, Solem Orientalium nationum peculiarem Deum coluisse notantur. Ideò sæpiùs Sol nummis adscriptus invenitur his titulis, *Solis æterni*, aut *Comitis Augusti*, aut *Propugnatoris*, ut in nummis Valeriani; *Conservatoris*, ut in nummis Æmiliani; *Providentia Deorum*, ut in nummis Aureliani; *Soli invicto*, ut in nummo Quieti Tyranni, in quo est adscripta imago Solis nudi radiati Orbem tenentis, ad cujus pedes sedet captivus.

Consecrato Vespasiano caput ejus nummo appositum cum hac Epigraphe; *D. Aug. Vespas.* reliqui tituli omittuntur, quod excellenter in titulo Divi omnes humani tituli contineantur.

Galba, quòd esset auctus honoribus

bus à Livia, nummos suos signavit Liviæ imagine, hasta pura, & patera insigni, hanc Epigraphe: *Diva Augusta. Justinus* lib. L. voluit antiquos coluisse hastas pro Diis; atque adeò solebant illæ adhiberi Deorum simulacris, ut in Cæsaribus consecratis.

Augustæ & Reginæ consecratæ colebantur in nummis sub imagine alicujus Deæ; Ita Cleopatra ornatu Dianæ se nummis appositi. Iulia Severi uxor specie Lunæ aurigantis, hâc Epigraphe: *Luna Lucifera.* Sabina Hadriani specie Junonis. Faustina filia specie Veneris. In nummis autem utplurimùm capita Augustarum Consecratarum intra Lunæ semicirculum sculpebantur.

Tanti fecit Cæsar Pontificiam dignitatem suo maximo labore partam & periculo, ut symbola Pontificia in nummis suis plerumque sculpi juberet; cujusmodi sunt capeduncula, guttus, lituus, aspergillus, secespita, albus galerus, patera, caput velatum,

tum, &c. In ejus item nummo reperitur Elephas cum Dracone, uterque Consecrationis typus; Elephas quidem Divis, (ut habetur apud *Suetonium* in Claudio) Draco Heroibus consecratus, ut patet ex *Plutarcho* in Cleomene.

Phœnix Orbi stellato insistens capite radiato in nummo Constantii, fidem resurrectionis in Christo testabatur, & novam in Cœlo gloriam, hac Epigraphe: *Felix temporum reparatio.*

In nummo Titi apparet Urna Columnæ imposita inter duas lauros. Urna est cinerum Vespasiani patris post consecrationem posita inter lauros.

Vota pro salute Principum numismati signata: ita post recuperatam Augusti valetudinem sculpta in aversо numismate, Corona quernea, seu Civica Jovi suspensa, quasi Principis salus ad Deos potissimum referatur.

Idem Augustus in expeditione Cantabrica fulmine appetitus vovit Templum Jovi Tonanti, & numismati

mati appoſuit. Vide *Horat.* lib. 3. in Ode *Cælo tonantem credidimus Jovem.*

CAP. XIII.

De Politicis Magiſtratuum, ac Regum Inſignibus, & Characteribus, Ludorum, Coloniarum, & aliorum id genus.

AEgypti Reges nummis adſcribebant Silphium, & Siſtrum ipſorum inſigne, ſicut & Hieronymus Siciliæ Rex fulmen. Item in nummis Imperatorum viſitur in Clypeo Caligulæ circulus, ornatus alternatim Lunæ & Stellarum figuris. In Hadriani Clypeo apparet eques conficiens Chimæram, in Clypeo Taciti Imperatoris eques præceps, in Clypeo Probi pugna equeſtris. In Clypeo Alexii Comneni Aper.

Piſo Ædilis ab Auguſto creatus Annonæ curandæ Præfectus, nummis ſuis appoſuit Cererem & Saturnum, tamquam agri colendi doctores,

res, & Genios agriculturæ, quibus addidit & ſpicas, tamquam inſignia Præfectorum Annonæ.

T. Cariſius III. Vir (è *Torrent. in Suet. Aug.* exhibente nummum) cudendæ monetæ præfectus ab Auguſto, non modò ſymbola Præfecti Monetarii, hoc eſt forcipes, malleos, incudes, pileum Vulcani, ſed etiam, ut Auguſto adularetur, appoſuit in nummis aliquando Sphingem, qua utebatur Auguſtus in annulo ſigillari; aliquando portam Civitatis, quod Auguſtus in Luſitania ædificaſſet Emeritam, &c.

In nummis Auguſti adſcribitur Sphinx, qua notabat ab omnibus difficillimis negotiis ſeſe expediviſſe, ſicut Sphinx explicabat omnes nodos ingenii.

Ex nummo Veſpaſiani licet colligere formam Fortunæ Aureæ Imperatorum, quæ tradebatur Succeſſori ad Imperium. Inſiſtit illa Baſi cum cornucopiæ & clavo, hac Epigr. *Fortuna Auguſta.* In

In nummo item Vespasiani, tradit ille filio Tito Orbem, hoc est Imperium.

In nummo Pertinacis mulier est stolata, quæ recipit de cœlis delapsum Orbem, quo indicabat ille Imperator se Deorum providentia Imperium accepisse.

In nummo Trajani Jupiter est adscriptus cum fulmine, & pallio, quo tegit, & tuetur Trajanum; quo significabat Principes esse sub Iovis tutela.

Valentinianus junior stat in triremi, angelo ad clavum sedente, hac Epigraphe, *Gloria Romanorum*; qua portendebat gloriam Principis Christiani esse regere Imperium nutu Dei.

In nummo Placillæ Theodosii Uxoris sedet Victoria in mediis spoliis, quæ in Clypeo ad Palmam appenso adscribit, Christus; Epigraphe numismatis est, *Salus Reipublicæ*: quo denotat Christi protectioni & Victoriam, & Reipublicæ salutem deberi.

In nummo Severi adscriptæ sunt

effigies duorum Liberorum, hac Epigraphe, *Æternitati Imperii.* Verum ſpes patrem fefellit.

Fortuna cum Cornucopiæ, & prora adſcripta in nummo Veſpaſiani, hac Epigraphe, *Fortunæ reduci*, deſignabat appulſu Veſpaſiani ad Imperium rediiſſe apud Romanos fortunam & felicitatem.

Typus Rheni, quò deveherentur neceſſaria, vel, qui Romanos à Barbaris diſterminat & tuetur, in nummis adſcriptus, hac Epigraghe: *Salus Provinciarum.*

Interfectorum Cæſaris nummi continebant in altera facie caput Libertatis, in averſa fronte Victoriam, quæ Romam ſedentem coronaret.

Cæſar Inſtaurator Corinthi adſcribebat nummis Bellerophontem Pegaſo inſidentem, ac pugnantem cum Chimæra, quod erat Corinthiacæ Civitatis inſigne. Appingebat in nummis aratrum, vaccam, ſigna militaria, vexillum Cohortium, & Aquilam

lam Legionariam, & decempedam, quæ ſunt ſymbola Coloniæ deductæ.

In Caſſia gente boves jugati apparent, tanquam ſymbola Coloniæ deductæ.

Auguſtus Reparator Neapolis, quam in urbem Coloniam deduxerat, notabat nummos effigie Sirenes Parthenopes, quod eſt ſymbolum, & inſigne illius civitatis.

Commodus in nummo, Herculis habitu juvencos jungit, hac Epigraphe: *Herculi Romano conditori.* Nimirum Romam immortalem, & fortunatam Coloniam Orbis terrarum appellavit; volebat enim ſuam eſſe Coloniam, inquit *Dio Caſſius.*

In nummo Hadriani, Agricola tenet aratrum dextera, anchoram ſiniſtra, hac Epigraphe, *Tellus ſtabilita.* Quod pacato orbe Hadrianus reddidiſſet honorem agriculturæ ſtabilem.

In ejuſdem nummo Imperator togatus adſcribitur, dextra ſublevans mulierem genuflectentem, & turriti

capitis orbi innixam, hac Epigraphe, *Restitutori Orbis Terrarum.* Eo nimirum designabatur tellus, cujus oppidis Imperator Hadrianus beneficia multa contulerat. Nullus enim Principum ferè (inquit *Spartianus*) tantum terrarum tam celeriter peragravit, ubique beneficus.

Imperatores initio Imperii cudebant nummos, in quibus adscripta corona Civica his litteris in medio S. P. Q. R. hac Epigraphe; *Ob Cives servatos*, illi siquidem optabant à clementiæ laude, & paternæ curæ auspicari Imperium. Undè & titulum Patris Patriæ affectabant. In nummo Augusti simulacrum pacis apponitur alatum, quod Caduceo tangit caput Serpentis, hac Epgraphe: *Paci Augustæ.*

Templum Jani à se clausum, Augustus nummis sculpi jussit, in aversa autem facie apposuit Orbem, hinc & hinc ramis laureis vinctum, in symbolum pacis comparatæ bellicis victoriis,

ctoriis, hac Epigraphe, *Paci perpetuæ.*

In nummo Antonini Philosophi, Pax altera manu cornucopiæ, altera protendit facem, qua cumulum armorum accendit, hac Epigraphe, *Pax Augusta.*

In nummo Hadriani, Concordia sedet, ut secura, pateram tenet uti Pacis cum Diis consiliatrix. Spoliis, & cornucopiæ innititur, ut mater Victoriarum, & felicis affluentiæ.

Ludi Sæculares symbolis Dianæ, Apollinares Apollinis, Cereales Cereris in nummis exprimebantur. Cæsar, quod Taurum primus in spectaculum exhibuisset, Tauri imagine signavit aliquando nummos.

In nummo Tetrici Imperatoris Tyranni, Typus Lætitiæ adscribitur, quæ gerit dextra manu Diadema, sinistra verò Anchoram, hac Epigraphe, *Lætitia Augusta.* Diadema seu Corona est symbolum Lætitiæ, quod lætantes coronati incedant; indicabat ille Tyrannus se assumpto Imperio

fundaturum Lætitiam publicam.

Forum ſuum nummis expreſſit Trajanus, & Pontem in Danubio ædificatum. Item quòd Pontinas paludes ſiccatas ſtraviſſet, & curribus pervias feciſſet, appoſuit in numiſmatis ſuis mulierem humi procumbentem, quæ rotam teneret, & arundinem. Provinciarum ſymbola aliquando in nummis adſcripta; ut Africanæ, quod erat in prima fronte numiſmatis, adſcribitur caput mulieris galeatæ, Elephantino capite; juxta ponitur ſpica & aratrum; in averſa autem fronte Hercules. In alio nummo Auguſti, Pegaſus eſt ſymbolum Africæ, ut habet Golzius.

In nummo Trajani Camelus, & thuris ramus, eſt typus Arabiæ Provinciæ.

In nummis Hadriani ramus Oleæ & Cuniculus, quorum feraciſſima eſt Hiſpania, eſt typus Hiſpaniæ Provinciæ.

In nummo Decii, Dacia Provincia baculo

baculo ſuſtinet caput equinum, in ſignum bellicæ gentis.

Peloponeſii teſtudinem adſcribebant nummis, hinc dictus Chelon nummus. Athenienſes Noctuam, ſymbolum Minervæ ſapientis; indè luſus ſervi Gylippi Laconis: *multas noctuas cubare ſub tectis*; quod Gylippus eſſet depeculatus publicam pecuniam, quam Lyſander fuerat deprædatus Athenis, eamque ſub tegulas tecti abſcondiſſet. (Vide *Plut.* in Lyc.) Item Athenienſes appoſuere Bovem in nummis ex inſtituto Theſei ob memoriam Minotauri à ſe occiſi, aut Tauri Marathonii, aut quod docuiſſet Athenienſes politiam, & cultum agrorum.

Argivi Lupum, & murem in diverſis; Rhegini leporem; Dardanii gallos pugnantes; Tenedii ſecurim; Træzenii tridentem, quod Neptunum religiosè colerent: Cephalenii equum; Locrentes Heſperum Stellam; Cphii Shingem eorum inſigne,

& Homerum sedentem, ac tenentem manu Iliadem; Smyrnæi Melam fluvium vasi innixum, juxta quem natus fertur Homerus; fluvius autem altera manu laurum, altera lyram tenebat; in aversa verò fronte Victoriam, quasi de aliis civitatibus, quæ de Homeri natalibus gloriantur, Victoriam retulissent. Coi inscribebant in nummis baculum Serpente circumvolutum, quod erat insigne civitatis, cujus tutelaris erat Æsculapius.

Cap. XIV.

De Bellicis Trophæorum Terrestrium, & Maritimorum insignibus.

Victoria multipliciter exprimitur. In nummis aliquando Trophæum coronat; aliquando altè volans videtur coronam impositura Duci. Alias Duci stanti, & loricam calcanti, vel clavum, si sit maritimum prælium, te-

tenenti porrigit coronam, aut palmam, vel laurum.

In nummo Cæsaris, in prima fronte Minervæ caput, in aversa Victoria. Est enim Victoria Minervæ πάρεδρος.

In nummo communi Vespasiano & Tito, Victoria basi insistit, ex qua assiliunt duo angues. Per angues invidi designantur, quibus invitis victoria se potitos significabant; aut angues prudentiæ symbolum, qua victoriam & triumphos, & gloriam in tuto se collocasse designabant: vel etiam concordia sua.

In nummo Posthumi, Hercules coronam imponit Posthumo loricato; quo designabat, se Victoriam adeptum esse auctore Deo, & fortitudine sua, æternumque duraturam, ut indicabat Epigraphe: *Æternitas Augusti.*

In nummo Aureliani, in aversa fronte, laurea corona hac epigraphe: *Temporum felicitas.*

In nummo Antonini Philosophi, Vir-

Virtus Bellica nudo brachio Ancile sustinens, & altero Victoriolam; quo designabat aperto Marte se velle Victoriam consequi, nec indulgentia fortunæ, sed sua virtute evectum ad Imperium.

In nummo Constantini Magni, item & Justiniani, sedet Imperator manu gestans Globum; cui victoria insistit, coronam capiti Imperatoris imponens, quasi victori Orbis.

In nummo Tiberii, Victoria insidet Orbi stellato, quod victoria de cælis detur; sedet autem ut ejus æternitatem significet, sedet in Orbe stellato, quod adeò glorioſa sit, ut unà cum stellis radios per Orbem diffundat.

Sylla sculpsit in nummo Orbem quadruplici laurea corona circumdatum, ob quatuor ejus Triumphos de Græcia, Asia, Ponto, & Mithridate.

Tanti fecit Pompejus Præfecturam Maritimam, ut nihil frequentiùs

in

in ejus nummis inveniatur, quam ſymbola maris, vel Neptunus cum tridente, vel Triton inequitans feris marinis, vel acroſtolia, roſtra, delphines, trophæa maritima.

In nummo Agrippæ, qui ſub Auguſto tantum mari potuerat, Neptunus delphinum porrigit. In nummo Pompei, ponuntur ſymbola traditi maritimi imperii, ſceptrum, videlicet, inter aquilam & delphinum.

Alemannia ſedens, & lugens juxta trophæum Conſtantini, hac epigraphe: *Gaudium Romanorum.*

In nummo Tetrici, & Floriani, Jupiter ſedet, manuque ſuſtinet Victoriolam, hac Epigraphe, *Iovi Victori.* Victoriam ex ſymbolo in Deum referunt.

CAP.

Cap. XV.

De Nobilitatis Characteribus, & Gentilitiis Symbolis.

IN nummo Antonini Philosophi in prima fronte facies Commodi, in aversa ponitur Spes, hac Epigraphe, *Principi Iuventutis*. Cusum, videlicet, numisma vivente patre. Ita Diadumeni, Maximini, Philippi juniores.

Porcia gens gloriatur lege lata ne liceat verberibus afficere civem Romanum, unde notabat nummos imagine Magistratus cuidam pileum imponentis, hac Epigraphe: *Provoco*.

Reges Macedoniæ Clavam & Leonem apposuere numismatis, originis suæ ab Hercule deductæ indices.

Clavus navis communis fuit nota numismatum gentis Corneliæ; Papia gens, orta Lavinio, notabat nummos

mos lupo, vel aquila, vel ſerpente, quæ erant inſignia illius civitatis.

Sicinia gens in memoriam Sicinii fortiſſimi Romanorum, notabat primam nummorum frontem capite Deæ Fortitudinis, hac Epigr. *Fort. P. R.* id eſt, *Fortitudo Populi Romani*: averſam vero frontem ſignabat clava, & leonis ſpolio, vel coronis, palmis, trophæis, & donis militaribus.

In nummis Valeriæ gentis apponebatur galeata Siren cum haſtis & clypeo. Eadem gens Valeria, quod à Sabinis oriunda eſſet, hique à Pelaſgis, quorum mos fuit, ut unum tantum pedem armarent, (ut patet è *Macrobio* in Virg. 7.) ideo ſignabat nummos Marte, qui alterum tantum pedem armatum haberet.

Vibia gens à Sicilia oriunda, ſignabat Cereris ſymbolis, aratro nimirum, ſpicis, tædis, curru tracto à ſerpentibus, porca, quæ ei ſacrificabatur, & perſona ob Ludos Cereales.

Nobilitatis Typus apparet in nummo

mo Getæ, qui paludamento insignis hastam fert, & statuam velut stemma majorum.

Gens Cæcilia à verbo græco ἀκέομαι, medeor, à Medicis orta, nummis adscribebat imaginem Sanitatis, & Salutis.

Æmylia gens signabat nummos imagine Æmylii Lepidi, qui Ptolomæi pueri Regis capiti coronam imponeret, hac Epigraphe: *Tutor Regum.* Quod & Ptolomæus moriens tutorem reliquisset filio Populum Romanum, qui ad hoc munus destinavit Æmylium Lepidum.

Claudia gens signabat imagine Claudii Marcelli opima spolia ferentis, vel Claudiæ Vestalis, quæ patrem triumphantem, à Tribuno Plebis curru detractum eripuit, & currui reddidit.

Cæsaris nummi pleni sunt, vel stella Veneris, vel capite Veneris, vel Æneam cum Anchise, vel Palladio.

Cap.

CAP. XVI.

De Symbolis Artis, & Scientiæ Hieroglyphicis.

SAmii in nummo Pythagoræ ſphæram appoſuerunt, in qua ſtellam Veneris virga tangeret Pythagoras; quod dicat *Plinius* ejus ſyderis rationem primum Pythagoram inveniſſe.

Tarentini in nummo Archytæ cubum, & cylindrum appoſuerunt, quorum dicitur auctor à *Laertio*.

In Carbonis nummo apponitur clava Herculis deſinens in caduceum.

In Pomponia gente frequentibus Muſarum figuris notantur nummi: Euterpe bifronte Tragœdiæ Præſide; Item Herculis Cythara canentis, Clava interim quieſcente.

Titia gens Pegaſo notabat nummos, ob Titium Poetam inſignem ejus

ejus familiæ, qui floruit sub Tiberio.

Principis providentissimi sapientia, columna Corinthiaca, cui insidet Noctua; Constantis Imperatoris filii Constantini sapientiæ symbolum, ad columnas reclinentur, hasta, clypeus, galea; perinde atque si arma se submitterent sapientiæ, aut quod sapientiæ debeat esse juncta virtus militaris.

Cap. XVII.

De Symbolis Moralibus Virtutum, & Vitiorum.

In Herennia gente numismatis aversa frons Æneam habet, qui vehit humeris patrem: in prima verò fronte Virginem, hac Epigraphe: *Pietas.*

Pietatis imago in numismate Pompeji cognomento Pii, Virgo baculum sinistra, dextra porrigens annulum.

Item

Item in ejusdem nummo duo fratres Catanenses.

In lecto reclinatum fulmen supremi Imperii telum, in nummo Titi clementiæ typus est.

In nummo Antonini Philosophi Clementia pateram tenet, & sinum pandit, velut asylum referans oppressis. Item in ejusdem nummo clypeata Pallas tutelare hujus Principis Numen.

In Carthaginensium nummo Juno Tyria, seu Cælestis insidens Leoni sursum erecto, dextera fulmen, sinistra hastam puram tenet, hac Epigraphe: *Iudulgentia Augusti.* Juno Dea tutelaris Carthaginis ponitur pro ipsa civitate. Severus Imperator habitus ut Deus ab Afris ob ejus in eos indulgentiam.

Adtexenda plura non censui, ne tædium parerem, tum quia hunc gustum præbuisse satis duxi.

Appingendum tamen, nondum liquere quid significent in plerisque Num-

Nummis Græcis Imperatorum notæ Γ seu L inversæ, & IA, IB, IΓ; an numerum annorum, quibus inierant, gerebantque Magistratum Monetales Præsides? ut *Angelonius* (in Trajano p. 103) opinatur, L explicans annum; an verò Imperii? uti vult *Tristanus*: (Tom. 3. comment. Hist. p. 214. in Vaballatho.) Et sequuti videntur eos, qui A divinarunt Αυκάβαντος, id est, annum. Esse annorum numeri Notam circumductam sensit *Casaubonus* (in Sueton. August. c. 87.) at *Josephus Scaliger* (in Chron. Eusebii) putat esse numerum Indictionum Julianarum, Hadrianarum, Antoninianarum, Aurelianarum, Constantinianarum. Itaque ampliandum. Tantumque Nummographorum, qui fuerunt, subtexo indicem, servata serie litterarum, à quibus initium nominum ducitur.

1. *Angelonus.*
2. *Joannes Annius Viterb.*

3. *An-*

3. *Antonius Augustinus.*
4. *Joannes Camers.*
5. *Guilielmus du Choul.*
6. *Cyriacus Anconit.*
7. *Sebastianus Erizzus.*
8. *Hubertus Goltzius.*
9. *Gorlæus.*
10. *Gualterus.*
11. *Antonius Guevarra.*
12. *Wolfgangus Lazius.*
13. *Pomponius Lætus.*
14. *Claudius Menetrius.*
15. *Adolphus Occo.*
16. *Petavius.*
17. *Antonius le Pois.*
18. *Joannes Pontanus.*
19. *Joannes Sambucus.*
20. *Iosephus Scaliger.*
21. *Gabriel Simeonius.*
22. *Iacobus Strada.*
23. *Octavian. Strada.*
24. *Tristanus Sanctamantius.*
25. *Æneas Vicus.*
26. *Fulvius Ursinus. &c.*

INDEX CAPITUM.

I. *De Numiſmate Problema.* 1
II. *De dignitate Numiſmatum.* 4
III. *De origine & ætate Numiſmatum.* 7
IV. *De materia Numiſmatum.* 8
V. *De Forma Numiſmatum.* 10
VI. *De prima fronte Numiſmatum.* 11
VII. *De honorario Numiſmate.* 16
VIII. *De munerario Numiſmate.* 17
IX. *Vultus Heroum & Deorum in Numiſmatibus.* 18
X. *Vultus Virorum illuſtrium in Numiſmatibus.* 19
XI. *De averſa fronte Numiſmatum.* 20
XII. *De ſacris averſi Numiſmatis characteribus.* 23
XIII. *De politicis Magiſtratuum ac Regum inſignibus & characteribus ludorum, coloniarum, &c.* 29

XIV. *De*

INDEX.

XIV. *De bellicis trophæorum terrestrium & maritimorum insignibus.* 38
XV. *De Nobilitatis characteribus & gentilitiis symbolis.* 42
XVI. *De Symbolis artis & scientiæ hieroglyphicis.* 45
XVII. *De Symbolis moralibus virtutum & vitiorum.* 46

FINIS.